







BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
32 H
29

PHILOMATHI
MVSÆ
IVVENILES.





Ex dono SS.mi D. N. Alexandri vij. Auctoris.



ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI. M.DC.LIV.

PRÆNOBILI ADOLESCENTI,

FLAVIO CHISIO,

MARII FILIO,

FLAVII NEPOTI



S. P. D.

WILHELMVS A FVRSTENBERG,
CANONICVS TREVIRENSIS
ET MONASTERIENSIS.



QVAMQVAM ingenitæ Nobilitatis tuæ indoles, ſedula parentum educatio, & domeſtica litterarum, prudentiæ, ac pietatis exempla, ſatis te ad Virtutem inſtruere poſſunt, Prænobilis Adoleſcens ; patieris tamen & ab ignoto, & à remotis regionibus, ad eam capeſſendam benè currenti tibi, ſin minùs ſtimulos, addi ſaltem



acclamationes. Ex quo enim Germania noſtra Illuſtriſſimum ac Reuerendiſſimum Patruum tuum ſuſpexit, Fabium Epiſcopum Neritonenſem, in tractu Rhenano Ordinarium, nunc verò & in VVeſtphaliâ, ad generalem pacem inter Principes conciliandam Extraordinarium Apoſtolicum, cum facultate Legati de latere, Nuntium; tui notitiam non habere non potui, teq́ue non amare, quem ab ipſo diligi in primis, eiuſq́ue monitionibus ad magna dirigi quotidie ſcio atque inflammari. Gemino igitur erga te ſtudio propenſus, audeo donare tibi gratum, vti ſpero, munuſculum lepidi libelli, collectum ex diuerſis carminibus, quæ pauca de multis ad manus meas ſubinde venerunt. Au-

ctorem

ctorem ne quæras, quando ille prorſus ignorari voluit, nec alio nomine, quàm quo prodeunt, vix tandem paſſus eſt edi. Agnoſces fortaſſis tu ipſe, tum ex indicijs quæ ſecum ferent, tum ex collatione aliorum plurium, quæ deſpectui habens Scriptor in angulis patriæ domus voluit deliteſcere. Neque verò hæc vel ſic lucem aſpexiſſent, niſi ille aliorùm genio potiùs, quàm ſuo tantiſper indulgere maluiſſet, longâque ſeueritate attemperata, pateretur ipſa quaſi non ipſa comparere, *auulſumq́ue* (liceat mihi dicere) *humeris caput, & ſine nomine corpus*. Prô quantum Operi momentum acceſſiſſet, ſi Auctor patuiſſet in fronte, tot grauiorum ſtudiorum laureis, tot magiſtratuum geſtorum laudibus illu-

 ſtris;

ſtris; vt nihil de pietate ac moribus dicam. Scripſit autem hæc carmina partim adoleſcens, partim vir; modò inter grauiſſimas occupationes, modò in itinere, aliud agens, ac recreandi tantùm animi gratiâ. Decent illa præcipuè ætatem tuam ac ſtudia. Lege, vtere, imitare, memor aurei Epigrammatis, palmaribus litteris, vti audio, ſub paterni cubiculi laqueari extantis; vbi illuſtris pictoris manu Cæſaris geſta, ad æmulationem excitandam, à CXL. annis Maiores tui pingi voluerunt:

Fleuit, Alexandri Cæſar cùm vidit honores,
Concepitque animis æquora, regna, polum:
Inde triumphatũ circumtulit arma per Orbẽ.
Tantum ingens virtus, æmula facta, poteſt.
Quiſquis in hac igitur defigit imagine vultus,
Æmulus is magni Cæſaris eſſe velit.

Et ſanè ita eſt: aliorum facta excitant

tant nos ab otij veterno, & dum in laudes eorum non illubenter trahimur, ad æmulationem quoque occultâ quadam vi inflammamur. Auctor ipse PHILOMATHVS (notissimum tibi Senensis Academici nomen) idemque nonnullis PHILOMVSVS, hisce stimulis incitatus, viuam quamdam illorum in Poësi Heroum ideam, meo quidem iudicio, expressisse videtur. Euolue paulisper: in Epico carmine Maronem, in Melico Venusinum Vatem, in Tragico Senecam, alibi Martialem, acumine etiamnum principem, alibi inter Satyricos regem Iuuenalem, intuebere. Neque Ouidium facili & ingenioso, nec nitido Propertium, nec Romano ore Catullum desiderabis: non iam tamen à mol-

litie & nequitiâ teneris animis noxios, ſed quos ipſa Caſtitas è Cypro Senas in Vrbem Virginis traduxit. Horum profectò aſpectus, vt & ipſe meliorem quamdam Poëſeos effigiem in animo tuo effingas, mirificè adiuuabit: in quâ facultate quantum inſit momenti, vt hominum mentes, carminis ſuauitate delinitas, ad virtutis & grauioris Sapientiæ amorem conſectationemq́ue inducat, ſuperſedeo dicere; qui probè ſciam, quantum compendiaria eorum exemplorum via, quæ tibi domi & in patriâ tuâ abundè exhibentur, cunctis apud animum tuum rationibus præſtet. Si meo erga pulcherrimam hanc Diuam, omnis elegantiæ ac humanitatis informatricem, affectui indulgere diutiùs poſſem, libenter ſanè in meri-

tas

tas eius laudes excurrerem: ſub cuius inſtitutione ipſe quoque haud inutiliter, vti confido, ſeuerioribus quibus iam vaco diſciplinis ante annos haud ita multos præluſi. Sed cùm id excederet epiſtolæ modum, finio; teq́ue iterùm atque iterùm rogo, vt Muſas haſce ſemper iuuenes, quas Auctor maluit vocare Iuueniles; quia ſicuti & ſenex laudatur in quo aliquid iuuenile, ita iuueniliter amœno animo, & quidem, quod refert, in continuis grauiſſimiſq́ue occupationibus, immò inſuper in morbis admodum acutis ac pertinacibus ab ſeſe effuſas (quæ profectò iuuenilitas in fortiſſimo illo ac ſimul manſuetiſſimo funditus, mortaliumq́ue omnium amantiſſimo pectore, habitantem Spiritum Dei

arguit) ideoq́ue iuuentuti tuæ excolendæ aptiſſimas, hoſpitio quàm amiciſſimo excipias. Illæ, vti minimè inhoſpitæ, te viciſſim ſuum in Heliconem inuitabunt, omni ibidem humanitatis genere excepturæ, & laureâ reuinctum, Vatibus inſerturæ. Vale Prænobilis Adoleſcens. Coloniæ Agrippinæ, Prid. Non. Aprilis. CIↃ. IↃC. XLV.



CL. VIRO

CL. VIRO
BALTHASARI MORETO
S. P. D.
FERDINANDVS
A FVRSTENBERG,
CANONICVS HILDESIENSIS ET PADERBORNENSIS.



OLEO *ſæpenumerò, Cl. Morete, dum vtramque, veterem ac recentem, Romam mirabundus intueor, aurea illa principum Poëtarum ſæcula ob oculos ponere, & quantum longo veluti ex interuallo præteriti temporis ſpatia reſpicere memoria poteſt, veteres illos Heroas ad vnum omnes recenſere, & cum noſtris ex æquo comparare. Quid enim, aio, Fracaſtoriis, Sanazariis, Nauageriis, Sarbieuiis, Baldæis, Heinſiis, & Poëſin cum imperio pari maieſtate tractare nato Vrbano VIII. P. O. M. ad ſummum gloriæ ſplendorem defuit, niſi illa è tenebris vetuſtatis aſcita lux? quæ antiquorum monumenta non minùs commendat, quam obſcuriores colorum vmbræ picturam animant & illuſtrant. Sed dum noſtro hoc quantumuis ferrea ſæculo non deſint, qui aureâ illâ ætate vixiſſe mereantur, ſuas ſibi*

ſibi laudes habeat ac temporis prærogatiuam Vetuſtas. Profectò vel vnius Philomathi Muſæ Iuueniles, meo quidem iudicio, ſufficiunt, vt optimè noſtrorum temporum dignitati conſultum dicamus; & nihil de noſtrâ felicitate veterum ſæculorum inuidia decerpat. Et illæ quidem, quod mirêre, non in Græco otio, aut ſacros inter receſſus, quæq; Vates vnis ſibi emunt votis vmbrarum ac nemorum lenocinia; ſed publicas inter occupationes, & afflictæ valetudinis incommoda, & difficillimos itinerum labores, ſi aut fallendi temporis voluntas, aut negotij tædium Auctorem cœperat, exciderunt. Atque hæc cauſa eſt cur in puluere ſordibuſq; fœtum relinquere diu cogitarit, qui expoſitus neglectuſq; iam ad interitum præcipitabat, niſi properè ſolertes huiuſmodi elegantiarum æſtimatores fati inclementiam procul auertiſſent. In hiſce, vt etiam aliquid ambitiosè addam, nonnullum ſibi locum vindicat ſuauiſsimus frater meus Guilielmus Can. Treu. Pader. & Monaſterienſis, qui octo abhinc annis Iuueniles Muſas in lucem productas publici iuris fecit, vt & ipſe in ampliſsimam hanc, quâ fruuntur, hereditatem gloriæ aliquâ ex parte veniret; nec malè ei congrueret, quod de Iulio Cæſ. dixit Cicero: Eum dum Pompei ſtatuas reficeret, ſuas erigere. Nec ſanè deſiiſſet, qui eſt illius in liberalium artium ſtudia affectus, in litteris eruditio, & in Philomathum obſequium, de hiſce Muſis deinceps benè mereri; niſi ipſum apud FERDINANDVM III. *Cæſ. Auguſt. & alios Germaniæ Proceres grauiſſimâ legatione perfunctum, alij rurſus ex alijs,*

vt

vt in rebus publicis vsuuenit, labores excepissent, & patria iudicasset non indignum, cuius consilio nouas curas, in generalibus hisce omnium Imperij Ordinum Comitijs Ratisbonam indictis, concrederet. Quapropter mihi, cui licet esse tam otioso, secundæ huius editionis negotium dedit. Quod ego quidem eò suscepi libentiùs, quò promptiorem, vir humanissime, Philomatho recudendo operam tuam vltrò obtulisti, & amicorum datis ad me litteris postulasti, vt studijs in Philomathum tuis fauerem, & absolutum Opus quamprimùm tecum communicarem. Vides enim, vt opinor, quantum inde in publicum emolumenti deriuabitur, quantumq́; ipsis Musis splendoris accedet, dum nouo additamento locupletiores cultioresq́; prodeunt. Neque id inuitâ Italiâ futurum spero, quamuis patrio iure suos sibi fœtus reposcere videatur, si elegantioribus Germaniæ nostræ typis edantur, quæ primùm nascentibus benignam se Lucinam exhibuit, & non solùm vberem rei benè gerendæ materiam, sed & varium carminis scribendi Philomatho præbuit argumentum, adeoq́; ad veram gloriam consequendam iter aperuit. Tum verò eam ex illustri exemplo nostri homines percipient vtilitatem, vt intelligant eiusmodi felicioris ingenij ornamenta auitæ Nobilitati non officere; sed fumosas Maiorum imagines, propriæ virtutis ac doctrinæ luce reddi conspectiores. Ea enim plurimorum hodie mentibus peruersa insedit opinio, vt plebeio tantùm vertice dignam Apollinarem lauream censeant, & omne Musarum nomen tamquam putidum, aut furiosum à Reip. guber-

bernaculis, & Principum consilijs, ad vmbratiles secessus relegent ac proscribant. Sed valeant illæ corniculæ, furtiuis pennarum coloribus amictæ: sileant obtrectatores, alienis non suis meritis decorati; aut saltem cum Zoilo suo pudorem induant, qui futuræ dignitatis inuidiâ præcipuam ingenij laudem in vitium trahere, & Poëticam Philomathi nostri facultatem calumniari ausus, hoc solùm effecit, vt ipse repulsæ ignominiâ confusus, hic sacri honoris murice ornatus erubuerit. Habes hîc ergo, Cl. Morete, quæ Iuuenilibus Musis præfanda duxi, tum vt obseruantiam in Philomathum meam posteritati testatam facerem, tum vt amicitiam nostram hoc insigni officij genere auspicarer. Ceterùm tuum nunc erit, nouam elegantissimo Operi lucem impertiri, & memoriam nominis, quam ingenio Philomathus sibi comparauit, Plantinianis Typis reddere immortalem; non sine incremento gloriæ etiam tuæ, quam innumeris aliorum editis monumentis felicissimè propagas. Vale, & me ama. Dabam Romæ Kal. Nouemb. CIↃ. IↃC. LIII.




PHILO-

PHILOMATHI MVSÆ IVVENILES.

I.

IN LAVDEM POESEOS.

Non Militiam, non Mercaturam, non Agriculturam ſequi ſe canit, ſed Muſas: cetera morti eſſe obnoxia; has immortalitatem donare, ac mentis tranquillitatem.



On tela, rauco percita claßico,
Non fluctuantes per mare turgidum
Gazas, vel immensùm patentis
Arua ſequor benè culta ruris.

Me per ſonantes tibia riuulos,
Me dulce plectrum per iuga montium, &
Antris trahit iocans imago,
Collis Apollinei inquilinum.

Deuota morti cetera defluunt,
Fatoq́ cedunt irreparabili;
Et, quam dederunt vix, repentè
Abripiunt elementa vitam:

Hæc pura mundi ſemina permanent,
Occaſu & ortu alterna, vagantibus
Vertente Naturâ figuris,
Dum varius reparatur orbis.
Tempus fugaci vulnerat impetu,
Rituq́; Parthorum feriens, ruit
Verſis ſagittis: hoc Theatra,
Arma, Duces, opulenta Regna,
Vrbeſq́; totas, cuncta, ſilentijs
Immergit altis; nec patitur diu
Manere quidquam. Vnum Camœnis
Perpetuum dedit eſſe Carmen,
Mortale terris lumine dum vago
Partitur æuum Phœbus. Amabili
Raptus furore, ô veſtra Muſæ,
Threyciâ fide notus, antra
Pandam ſacerdos. ô, liceat ſacras
Luſtrare ſedes! Vos lacrymabile
Lethum, & ſepulchrales cupreſſi,
Et miſeri fugiunt dolores.
Non cura mordax, non timor anxius,
Non vos inerti pigra tenet gelu
Senecta; vos & pax, quieſq́;,
Et decor, & iocus, & iuuentus

Æter-

Æterna seruant: ære perennius
Donatis æuum vos Ducibus nouum,
Et Delphicâ lauro reuinctis
Vatibus æthereos honores.
Hac arte Flacci Musa, volucribus
Dum tempus horas præcipitat rotis,
Orbem pererrat, permanetq́;
Viuida, mobilitate Cæli.

II.

IN DIEM ANNVNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Perpetuâ allegoriâ, vernum Gratiæ tempus concepti in vtero Virginis Dei, Spiritus sancti operâ, describit.



Issugêre niues, sæuaq́; turbinum
Tempestas abijt: composuit Pater
Cæli prouidus iram;
Nec terram iaculis premit
Vltor, nec glaciem pectoris asperat.
Mitescunt Zephyris arua tepentibus;
Puro gratior orbe
Affulget roseus dies.

 Titan

Titan purpureo lumine ditior
Ornatur : niueam vellus amabili
Terram luce maritat
Hoſpes ſidereæ domus.
Cælo regnat Amor : feruet amoribus
Cælum, atque impatiens ad thalamos ruit,
Seſe fœdere nuptæ
Arctans in gremium ſuæ.
Terræ exorta ſalus : Spiritus aureâ
Terram pace beat ; dædala concipit
Diâ fertilis aurâ
Tellus, atque vterum grauat.
Felix, cui ſuperis vernat Amor roſis,
Cui ſpirat Zephyrus purior ætheris,
Cui ſeſe ipſe minorem
Ingens inſinuat Polus!



III. IN

III.

IN OBITVM LAVRENTII DE FLISCO, NOBILIS GENVENSIS.

ÆMula dum Solis placidũ tua fama per Orbem
Euolat, & geminâ Palladis arte nitet;
Inuida tempestas fati subducere tentat
Lumen, & æternâ tollere nocte diem,
Mortales animatq; manus; scelus ipsa nefandum
Horrens, humano crimine fata tegit.
Inde cauo chalybe explosum magno impete fulmen
Te facit, heu! properæ succubuisse neci.
Mors propera est, si annos; animum si respicit, æqua
(Canitiem mentis dum videt) arma mouet.
Iam tua per totum virtus penetrauerat Orbem,
Et vaga per cælos sponte petebat iter;
Mors tulit occasu metam; abstulit Hesperus æuum
Lucidus, atque idem Phosporus Astra dedit.

IV.

CLEMENTI MERLINO, SACRÆ ROTÆ AVDITORI.

Inhibuerat ille Auctori, ne Versus scriberet: indulsit posteà, inuitans ad hortorum delicias; has extemporali carmine refert, vnà & sermones inuicem habitos.

Romanæ decus Astrææ, mihi culte sacerdos
Iuris, Castaliæ nobilis hospes aquæ;
Qui proauos virtute, genus qui moribus æquas,
Et iamiam gemino cingis honore caput;
Desine clamosas calamo componere lites,
Oblitus Latij iurgia rauca fori.
Cura per æstiuas teneat te mollior horas,
Dum grauis aßiduo Libra labore redit.
Libera iustitium sacris facit otia Musis,
Et licet Aonio ludere verba sono.
Seu iuuat inuentis natiuam flectere rhythmis
Linguam, Romanis dicere siue modis,
Accitæ venient, iubeas quocumque, Camœnæ,
Et ducent plectro Carmen vtrumque pari.

Me

Me quoque Musarum (quamquã mea carmina surgant
Inferiore lyrâ) nunc tamen vrget amor.
Hesternâ thema scribendi cùm luce dedisti,
Arctum sinceræ fœdus amicitiæ,
Sensi diuino perflari pectora sensu,
Atque per ignotas carminis ire vias.
Mox vbi Carpenses curru vectabar ad hortos,
Iniussus quoties versus in ore fuit!
Dum plateas, circum muros, viridesq; tapetas
Spectabam, Musis consitus hortus erat:
Dum vario placidum scandebam tramite cliuum,
Hic mihi Parnassus, hic mihi Pindus erat:
Subdola dum subter venit, nihil inde pauentis
Inq; sinu & vultu plurima lympha fuit;
Non ego tristatus, socio indignante: Suas sic,
Dixi, Bellerophon sollicitauit aquas.
Vngula si quondam fontem, vestigia Vatum
Non poterunt riuos elicuisse nouos?
Aufugit intereà madido vix Iulius ore,
Dum Felix risum non tenuisse valet.
Absuit vndantem fluuium qui nomine gestat;
Fugit Iordanis sic leue murmur aquæ.
Ponè sequens Nannus timuit, dum me noua totum
Vnda lauat riguis vix reserata dolis.

 Lætior

Lætior aſcendo, riuus quà tramite recto
Se leuat, & celſo murmurat vnda iugo.
Hîc varios laudo curſus, varioſq; recurſus,
Siluam, quæque vias frondea ſerta tegunt.
Mollior expreſſit volucres cùm lympha loquaces,
Ac tandem noſtros clauſit arena iocos;
Hæc mihi per noctem geminauit gaudia ſomnus,
Dum mentem heſternis ludit imaginibus.
Vix primos cælo Phœbus diffuderat ignes,
Cùm iuſſit Latijs reddere viſa ſonis.
Quidni parêrem imperijs ex tempore Phœbi,
Iret & in faciles pagina docta pedes?
Corripit extemplò Vatum vaga pectora Phœbus,
Mox intentatum fundere iuſſa melos.
Miſcuit ipſe iocos heſternis Phœbus in vndis:
Ille dedit luſus lætitiamq; Deus.
Lætitiæ pars vna tamen non vltima deerat,
Illic quòd Gaſpar non comes alter erat:
Gaſpar, quem medicâ genuit celeberrimus arte
Saluius, Hiſtoriæ Pieridumq; decus;
Gaſpar, amicitiæ notum ſuper æthera nomen;
Gaſpar, amor Vatum, deliciæq; tuæ.
Non mihi fama vetus tam fidum Theſea forti
Amphitruoniadæ dura per arma canat;

Non

Non mihi Tyndaridas cælestia conferat astra,
Quos pius alternâ morte redemit amor;
Non Pyladen memoret pro caro funus Oreste
Poscentem, Scythicam cùm stetit ante Deam:
Gaspar, magnorum superat qui exempla virorum,
Priscis sufficiens laudibus vnus erit.
Hunc coluit, qui rapta canit monumenta Tonantis
Thracibus, & fortes ad pia bella manus:
Hunc coluit, fidos Myrtilli qui vnus amores,
Eridani ad ripas, perq; theatra dedit:
Hunc, qui Parthenopen propè reddit, Adonidis ignes
Blandus lasciuam sollicitare chelym:
Hunc & quem Tiberis, magè quem sua Felsina vidit
Salmacis ardentem fonte referre facem.
Lumina quin Latij non te Querengus & Vrsus
Dudum carminibus præteriêre suis.
Viuet, io, Gaspar, tumulo tua fama superstes,
Quem non vna satis Musa beasse velit.
Vndique dicetur: Sociatas fœdere mentes
Vatum, corde vno conciliauit Amor.
Rara hæc laus Romæ; aduersis idem atque secundis;
Nec cum fortunâ statve caditve fides.

V.

DE LEONE MANSVETO DOMITIANI.

QVòd ſapit humanos ſilueſtris bellua mores,
Cæſaris ingenium fertur habere ſui.
Quòd potes immanem, Cæſar, tibi diſcere ſenſum;
Sæuitiem tumidi quippe leonis habes.
Ne iactes igitur vana hæc miracula: namque
Quà te hominem ſpolias, exuit illa feram.

VI.

DE EODEM.

QVàm mutat Natura vices! fit bellua Cæſar;
Et capit ingenium Cæſaris, arte leo.
Tu rex ſorte virûm, fato rex ille ferarum eſt:
Sic vtrique ſuum eſt quod diadema gerat.
Pro cicure inſanum tete ſi ſponte reponis;
Tu bruta, ille homines inter, habendus erit.
Par ludis furto furtum, par munere munus;
Seruas iuſtitiam, Cæſar, vbique tuam.
Te dum adſcribo feris, numerus benè cõſtat vtrimque;
Poßidet & reges vtraque turba ſuos.

VII. VR-

VII.

VRBANO VIII.

PONT. MAX. CREATO.

Similitudine verni Solis, excitaturum prædicit ſemina virtutum ad meſſem gloriæ, in orbe Chriſtiano.



Valis coruſcus temporis Arbiter,
Bis ſena qui per Signa volatilis,
Et noctis horis & diei
Imparibus, regit æquus Orbem,
Nimboſa poſtquam ſæuijt impete
Latè maligno bruma, Aquilonibus
Exaſperans imbres, & vrnâ
Iliacus gelidâ receßit;
Emenſus auri vellera diuitis,
Tauri pererrans terga potentior
Serenat auras, & feracem
Complet humum grauidatq́; fœtu;
Rident odoris gramina floribus;
Arbos renatis luxuriat comis;
Aues Patrem lucis, canoro
Murmure, conſpicuum ſalutant:

Sic,

Sic, vt ſecundo magnus ab æthere
Illuxit Orbi, ſemina ſuſcitat
Virtutis VRBANVS *benigno*
In ſegetes animata vultu.
Regnans beatis tot Superûm bonis,
Fœcunda dij munera pectoris
Et ſeruat, & terris redundans
Diuidit in vacuas cateruas.
Hinc Sanctitas, illinc Pudor, & Fides
Enata robur promouet inſitum, &
Auguſta maieſtas Latino
Orbe viget, niueuſq; candor.
Tranquilla vultu Pax redit aureo;
Concors potentem dat Pietas manum;
Vindexq; probrorum, & ſalubris
Iuſtitiæ metuenda præſes,
Fraudis repellit nequitiam Themis,
Semperq; hiantis monſtra Cupidinis.
Quicumque mores, Imperantis
Ad genium, excoluiſſe gaudet,
Solers Honeſtum præferat Vtili,
Humana temnens: mente adeat Deum,
Ex quo perobſcuris renidet
Lux animis, fugiuntq; nubes:

Doctuſq;

Doctusq́; naturam omnigenam, soli
Cæliq́; vires, quæq́; Beatitas
Manet supernos, quæq́; cuncta
Ore Deus retegit benigno;
Mox rebus æquâ dexterâ in arduis
Prudens habenas flectat amabiles,
Quies vt extremis ab vsque
Fluctibus Oceani triumphet.
Sic, prima Cælum dum mouet, altera
Edocta, motu mens trahit æmulo:
Stant ima summis, & canoro
Aura sonat modulata cursu.

VIII.
COMMENTARIA CÆSARIS A MVRE CORROSA.

I*Mproba quid Vates Musarum cura lacessit,*
Si peritura breui pagina nocte manet?
Mus latet in pluteis, & duratura per æuum
Carmina momento perfidus ore rapit.
Tempus edax, & prisca patris commenta vorantis,
Ingenio dudum vincere credideram.
Edidici, grauior telo quantùm excubat hostis,
Exitium tenui qui mihi dente parat.

IX. IDEM

IX.

IDEM ARGVMENTVM.

Tot post emensos Orbis Pelagiq; labores,
Dextera quæ gesſit bella, legenda dedit.
Dux idem & Scriptor, ferro calamoq; superbus,
Enatat, & doctas per freta seruat opes.
Neptunum, Martemq; diu, & Saturnia victrix
Prælia vitarat pagina sorte suâ.
Auctoris rapitur fatis; enaſcitur hostis
Vsque domi, & domino posthuma bella mouet.
Dum resídet pluteis, accedit ad oscula Brutus
Alter, & infenso spicula dente tegit.



X. IN

X.

IN OBITVM ALPHONSI MARSILII EQVITIS.

Lacrymas cohiberi poſſe negans, amiſſum amicum, militiam, mortem, patris ſuccisas ſpes, inconſolabilem iacturam, ac mortalitatis miſeram conditionem lamentatur.



Vis dicat lacrymis arbiter impius
Lamentiſq́; modum? quis malè pertinax
Vallat duritie pectus inhoſpitâ,
Ære & cor triplici tegit,
Vt dirâ gemitus lege coërceat?
Expers legis Amor; nec querimoniјs
Arctos addidicit ſcribere limites:
Vtcumque hunc ſequitur dolor,
Metiturq́; parem. Ergo effera ſuſtulit
Vis, heu, MARSILIVM*? ille ille meus cadit*
Eoo roſeus lumine Phœbus, &
Vndis occiduis perit?

Quònam

Quónam frontis honos, lætaq́; faustitas?
Quò vultu niueo purpureum micans
Abscessit decor, & robur, & arduæ
Maiestas animæ capax?
Indulsit lacrymans Militiam parens
Illustrem titulis, quà sua Nereus
Protendit spatijs regna fluentibus,
Phœboq́; hospitium locat.
Mox flauam patrio in littore continens
Arctè cæsariem, dat tremulis silens
Vix raptim labijs oscula; nec freto
Soluentem patitur ratem
Inspexisse dolor. Macte, per æquora &
Terras Nate vagans, sis atauis manu
Par & consilijs; te aurea pectoris
Hæc signa instituant virum.
I, vince, atque alacris deprime barbaras
Ceruices Asiæ, sospes ab vltimo
Et ponto remeans, sic patriam velis
Non inglorius ingredi.
Hæc fatus Genitor: proripit illicò
Sese, & tristè dolens dum repetit lares,
Læti spe reditus feruet, & anxius
Ludos ac thalamos parat.

Nequic-

Nequicquam: procul at dissipat inuidus
Spes & verba Notus. Vix vehit altero
Se cursu, Euboicos per Calabrum sequens
Piratas profugos mare,
Dum pugnare prior tentat in hosticam
Pinum inferre pedes, prodigus heu! puer
Bellorum decoris, nocte sub impiâ
Confixus iaculo iacet.
Heu! quantis moriens vulneribus Patrem
Insons Nate necas! quàm propè flebili
Tecum cæde ruet! Vertit amabiles
Tædas funereis rogis;
Vertit flammigeri dona Cupidinis
Algenti tumulo; stat feriens sinum;
Non tutò requie, non dape vescitur;
Leniri indocilis, furit.
O falsis vtinam credita nuntijs
Mors! ô viuat adhuc! & profugam Parens
Hinc vitam reuocet, cui simul immori
Est votum, ac sobolem sequi.
Sed fors non placidis tristitiam queat
Commutare bonis: non aditus potest
Obsessos subitis pandere gaudijs
Cor, tantis miserum malis.

Sic dum iuſta ſuo credula filio
Ad Cannas celebrat, canitiem parens
Ac rugas lacerans, incolumem vt videt,
Extemplò exanimis cadit.
Infirmi vſque adeò corporis hoſpitem
Damna vrgent animum; per mala protrahit
Ætatem, & facilis præpete gaudio
Diſrumpi, opprimitur nece.
Qui ſperas dubijs rebus, & impotens,
Diſce hinc ſtulte animum tollere, vita ſeu
Quà ærumnis cruciat languida, ſiue mors
Riſus quà in medios venit.



XI. ITER

XI.

ITER ROMA FERRARIAM.

Anno CIↃ. IↃC. XXIX. in pugillaribus quolibet die, vt agebatur, plumbo adnotatum; obstetricantibus Poëmati (vt Auctor dicere solitus) non alijs Musis quàm nautis, stabularijs, cauponibus.



Ibra ter Autumno Phœbi cùm luce niteret,
Egressus Româ, Primæ quod nomine Portæ
Dicitur hospitio, eximij comitantis amici
Officia & rhedam linquo, gratoq́ue sodali
Adiunctus, vector lecticâ mœnia Castri
Vsque Noui: hîc parcus vix prandia contulit hospes:
Et Castellanam noctu peruenimus vrbem,
Improba vbi culicum legio, torrentis & ingens
Inde fragor, tenuem lassis fecere soporem.
Aufugimus, primos nebulâ condente nitores.
Quattuor emensi postquam iam millia, Sacris
Adsumus ad tenuem Borghetti pauperis aram.
Tum mensâ excipimur, celsam quà nominat vrbem
Sulphureis Nar albus aquis. hîc plurimus imber
Nos tenet in noctem: veterum simulacra virorum
Inspicimus, circa famosum picta lacunar:

Narnia quos genuit. molli requiescere lecto
Iuuit, & aurorâ campos surgente videre,
Vitiferasq; vlmos, & quæ mihi dicere versu
Difficile est, Amnes Inter sita mœnia. Posthæc
Sextâ nos reficit Stricturæ caupo benignus:
Summaq; transgressi fastigia, nona priusquam
Hora diem ferret, Spoletum venimus: illic
Ædibus inspectis Diuorum, munera cœnæ
Accipimus, vinum testâ fundente niuali.
Fulginiam manè hinc egressi, ad tecta maligni
Hospitis appulimus, qui turpi & paupere mensâ
Extorsit nummos. Apenninum inde subimus,
Posthabitis Vmbris, Clausa quà valle fluentum
Fertur in Adriacum, cursu mox ditius, æquor,
Ac laterum obiectu montis vix cernit auari
Sidera pauca poli. Ad sonitum requieuimus vndæ
Post molles epulas: transiuimus inde Cluentum,
Liquimus & Visi montes, collesq; Camertum.
Picenum ingressos nonâ nos excipit horâ
Vrbs Tollentini: celebrem hîc veneramur ad aram
Post tot lustra sacro manantia sanguine Diui
Ossa viri, humanis præsagia certa periclis.
Tum Maceratæ complexus lux postera amici
Restituit veteris, dapibusq; & fronte benignâ;
Laure-

Lauretumq́; dedit lunâ spectare nitente:
Cara Deo sedes, mortales cùm induit artus,
Et Matri dilecta domus, quæ barbara quondam
Regna Palestinæ fugit regionis, & agris
Institit Illyricis, cælestum & vecta per auras
Remigio Alituum, Piceni colle resedit.
Hîc, puri sceleris, Diuino & pane refecti,
Excolimus Diuam; & iam quartâ exsoluimus horâ,
Auspicijs faustis, Ançonæ ad littora cursum.
Namq́; pede extremo labens de ponte ruensq́;
Mulus, lecticæ casum, nobisq́; parabat
Funera: continuò egredimur cùm concidit vndis,
Et redijt rursus vectandi ad munera sospes.
Ponè sequens tum delphinus, dum fluctuat æquor,
Sponte suâ, nullis vexantibus aëra ventis,
Dat comitem sese, & curuo nunc Nerea dorso
Stat super, & nunc illudens immergitur vndis.
Prædixit verò nimbos delphinus, & æstum:
Nam simul Æsino transmisso ponte Tabernam
Ad littus positam (Ambustam dixêre coloni)
Attigimus, tetrâ tempestas nocte profundum
Turbauit, cænoq́; vias corrupit & imbri.
Sed Phæbo nascente, dies redit ore sereno,
Ac tutò spectare datur vicina frementis



Manè, hinc dum nebulis vicinas inficit auras
Flumen, ad octauam accepit Ferraria tandem
Incolumes, placidam laßis factura quietem.

XII.

DE ROMA.

ORbis Roma decus, dominatrix Roma Potentum,
Quàm benè conſpicuum tollis ad aſtra caput!
Te fallax Fortuna timet, quando omnia vincis;
Nec tibi, quæ humanis iam nocuêre, nocent.
Vidimus annorum rabiem in tua damna furentem:
Vidimus illatas vrere tecta faces.
Ipſe quoque iratus tumidis Pater obſtitit vndis,
Albula marmoreas dum rapit vſque domos.
Pulchrior ipſa tamen vitam de funere ducis,
Vt Phœnix proprio naſcitur è tumulo.
Perge igitur felix: te Diua volubilis auget;
Te quoque dum tentat perdere, cæca fouet.

Littora Neptuni, ſpumantibus acta procellis;
Ac Senonum dictos Gallorum nomine muros,
Et deteſtatum Pœnis tranſire Metaurum,
Sublicio longoq́; recens à ponte ſubactum,
Nec non Fortunæ Fanum; noctemq́; Piſauri
Sedibus exigere, & tabulis inſignia templa,
Roboreumq́; decus magni ſpectare PalatI.
Picenum exiguo pontis coniunximus arcu
Dehinc, & Flaminiã, properamus Arimini ad vrbem
Pranſuri; & membris dulcem indulsêre ſoporem
Arua Sabignani, felici culta Lyæo.
Tum prætergreßi Cæſenam, Pompilijq́;
Tecta, Forum LiuI deuenimus: hîc, vbi amici
Plauſibus excipiunt gratis & diuite mensâ,
Nos mora grata iuuat; paruaq́; Fauentia nocte
Præſulis hoſpitium præſtat, quem Purpura Senis
Abſtulit, illuſtrem meritis: tum, Sole tenente
Vix medium cæli, ſtetimus, dum pabula mulis
Sufficerent vires, Sancterni ad tecta quieti.
Hunc rate tranſnamus paruâ, celeriq́; fluentem
Eridanum curſu ſuperamus; & vltima Phœbi
Linea cùm flammâ tenui vix ſpargeret Orbem,
Argentæ gratis epulis molliq́; ſopore
Perfruimur noctu; & lauti data copia piſcis.

Manè,

Manè, hinc dum nebulis vicinas inficit auras
Flumen, ad octauam accepit Ferraria tandem
Incolumes, placidam laßis factura quietem.

XII.
DE ROMA.

ORbis Roma decus, dominatrix Roma Potentum,
Quàm benè conspicuum tollis ad astra caput!
Te fallax Fortuna timet, quando omnia vincis;
Nec tibi, quæ humanis iam nocuêre, nocent.
Vidimus annorum rabiem in tua damna furentem:
Vidimus illatas vrere tecta faces.
Ipse quoque iratus tumidis Pater obstitit vndis,
Albula marmoreas dum rapit vsque domos.
Pulchrior ipsa tamen vitam de funere ducis,
Vt Phœnix proprio nascitur è tumulo.
Perge igitur felix: te Diua volubilis auget;
Te quoque dum tentat perdere, cæca fouet.

XIII.

PESTIS ITALIAM POPVLATA ANNO MDC. XXX.

Post fluminum irruptiones, annonæ caritatem, ac bella, pestis insecuta est per vniuersam Galliam Cisalpinam. Hanc Auctor, Ferrariæ degens, nequaquam humanâ diligentiâ, sed morum improborum mutatione, in quos inuehitur, & diuinâ ope, ad quam sollicitandam hortatur, profligari posse canit.

ASsiduis quamquam stimulatum pectora curis
Fluctibus in medijs stomachi fastidia terrent;
Mens tamen infracta est, & constans corde voluptas
Bella super, fœdamq; luem, & mendacia messis,
Scribere me patitur properanti Carmina venâ.
Impia, væ, miseris præsunt quæ Sidera terris!
Quæ premet Italiam labes! Stat miles in armis
Vndique ab externâ diuulsus sede; minaces
Torquet in Italiam vultus, Martemq; duello
Prouocat; & nostris superimminet exitus oris.
Mantua iam decimo nutat sub mense, vetustum
Tormentis contusa latus, confecta periclis:
Proximus auxilio Venetus quin miles ab ipsâ

Deie-

Deiectus statione fugax, ferroq́ peremptus:
Obsidione grauis Ferrati monte superba
Arx, inuicta diu, gemino timet impete vinci:
Et contracta sibi iam sentit regna Sabaudus,
Dum dolet amissas prærepta per oppida vires.
Sic placitum Superis, Germanum ad bella cieri,
Hispanumq́ Ducem, & Gallorum robora gentis.
Improba cunctarum rerum comitatur egestas:
Spem mentitus ager, toto non horrea lustro
Impleuit; steriles dominantur lappulæ in aruis,
Et lolium, nocuo perfundens membra sopore.
Non ver purpureum redolentia gramina promit,
Aut florum pleno diffundit copia cornu.
Inuidet Autumnus transacti temporis auras
Pomaq́; nec summo spumat vindemia labro.
Arida nequicquam placidos dum postulat imbres,
Torretur nimiùm Phœbo, rimisq́ fatiscit;
Inq́ vicem immani pulsatur grandine tellus.
Flumina quin etiam totas vndantia ripas,
Aggeribus ruptis, inimico vortice campis
Contigit abripere immensùm sudata colonis
Semina, & interdum falces præuertere curuas,
Et segetem strauisse, solo quæ putruit vdo,
Altior in medijs hæsit cùm piscis aristis.

Sed grauiora manent. Quænam vis tabida venis
Incubuit, rabido incendit quæ pectora morsu?
Germanis seu nata plagis contagia miles
Intulit in nostras, fœdis & sordibus oras
Inuasit; seu terra putris, turpésve lacunæ
Concepêre luem, socios quæ serpit in agros;
Seu grauis aëreâ genitus regione, maligni
Sideris aspectu populatur spiritus vrbes;
Italiam, Italiam, quondam dilecta Tonanti
Regna, tenet fatale malum: quamq; impia Martis
Vulcaniq; manus timuit lacerare, cruentis
Vertit funeribus gliscens nullo obice morbus,
Sæuior & bello & flammis prosternit humi Pax.
Insuber hæc primus percepit damna; Cremonæ
Mox ciuis: sed vterque necem sine clade suorum
Vitauit. Rursus redit in præcordia virus
Nunc, & funereo mœstos petit agmine manes
Insuber. At Parmæ, proh, quantùm infensior hæsit!
Nam sensim grassata lues, omnesq; recessus
Corripuit, populumq; imum, summumq; Senatum
Vulneribus cæcis æquali strage peremit.
Non illa Ordinibus Sacris, Claustrisq; piorum,
Non fera virginibus, puerôve seníve pepercit.
Defecit, propior medicus dum consulit ægro;

Conci-

Concidit & præbens cælestia Liba Sacerdos:
Anceps extremo mater dum munere, nati
Excipiátne abeuntem animam, num lumina claudat,
Quà celeris pietate, necis quà lenta pauore
Incubat, & calido tumulat sua pignora cippo,
Seq́ꝫ, quod impleuit, claudit vespillo sepulchrum.
Quin prostrata iacent triuijs inhumataq́ꝫ passim
Corpora, vt ex omni numeres vix vrbe trientem
Reliquias tabis. Vicina Placentia fato
Abripitur simili: funestâ at Mincius vrbe
Squallet, & internâ morbi plus cæde laborat,
Quàm timeat ferro vinci. Viduata colonis
Terra potens complet miserandis questibus auras;
Infandum, ruit ad mæstam longo ordine mortem,
Extremis procul exequijs, & honore sepulchri.
Proxima succedit stellis Verona sinistris,
Vnâ ter centum deducens funera luce.
Non ars vlla leuat; quouis medicamine morbus
Pascitur, & maior collectis viribus vrit.
Destituit prolem infectam pia cura parentum;
Vix, trepidante manu, protensa decempeda victum
Porrigit, & cari refugit mala flamina vultus.
Ipsa viri coniux metuit tetigisse cadauer,
Tormenti genus, extincto nedum oscula figat;

Et

Sic dum iusta suo credula filio
Ad Cannas celebrat, canitiem parens
Ac rugas lacerans, incolumem vt videt,
Extemplò exanimis cadit.
Infirmi vsque adeò corporis hospitem
Damna vrgent animum; per mala protrahit
Ætatem, & facilis præpete gaudio
Disrumpi, opprimitur nece.
Qui speras dubijs rebus, & impotens,
Disce hinc stulte animum tollere, vita seu
Quà ærumnis cruciat languida, siue mors
Risus quà in medios venit.



XI. ITER

X I.

ITER ROMA FERRARIAM.

Anno CIↃ. IↃC. XXIX. in pugillaribus quolibet die, vt agebatur, plumbo adnotatum; obstetricantibus Poëmati (vt Auctor dicere solitus) non alijs Musis quàm nautis, stabularijs, cauponibus.



Ibra ter Autumno Phœbi cùm luce niteret,
Egressus Româ, Primæ quod nomine Portæ
Dicitur hospitio, eximij comitantis amici
Officia & rhedam linquo, gratoq; sodali
Adiunctus, vector lecticâ mœnia Castri
Vsque Noui: hîc parcus vix prandia contulit hospes:
Et Castellanam noctu peruenimus vrbem,
Improba vbi culicum legio, torrentis & ingens
Inde fragor, tenuem lassis fecere soporem.
Aufugimus, primos nebulâ condente nitores.
Quattuor emensi postquam iam millia, Sacris
Adsumus ad tenuem Borghetti pauperis aram.
Tum mensâ excipimur, celsam quà nominat vrbem
Sulphureis Nar albus aquis. hîc plurimus imber
Nos tenet in noctem: veterum simulacra virorum
Inspicimus, circa famosum picta lacunar:

Narnia quos genuit. molli requiescere lecto
Iuuit, & aurorâ campos surgente videre,
Vitiferasq; vlmos, & quæ mihi dicere versu
Difficile est, Amnes Inter sita mœnia. Posthæc
Sextâ nos reficit Stricturæ caupo benignus:
Summaq; transgressi fastigia, nona priusquam
Hora diem ferret, Spoletum venimus: illic
Ædibus inspectis Diuorum, munera cœnæ
Accipimus, vinum testâ fundente niuali.
Fulginiam manè hinc egressi, ad tecta maligni
Hospitis appulimus, qui turpi & paupere mensâ
Extorsit nummos: Apenninum inde subimus,
Posthabitis Vmbris, Clausa quà valle fluentum
Fertur in Adriacum, cursu mox ditius, æquor,
Ac laterum obiectu montis vix cernit auari
Sidera pauca poli. Ad sonitum requieuimus vndæ
Post molles epulas: transiuimus inde Cluentum;
Liquimus & Visi montes, collesq; Camertum.
Picenum ingressos nonâ nos excipit horâ
Vrbs Tollentini: celebrem hîc veneramur ad aram
Post tot lustra sacro manantia sanguine Diui
Ossa viri, humanis præsagia certa periclis.
Tum Maceratæ complexus lux postera amici
Restituit veteris, dapibusq; & fronte benignâ;
Laure-

Lauretumq́; dedit lunâ ſpectare nitente:
Cara Deo ſedes, mortales cùm induit artus,
Et Matri dilecta domus, quæ barbara quondam
Regna Paleſtinæ fugit regionis, & agris
Inſtitit Illyricis, cæleſtum & vecta per auras
Remigio Alituum, Piceni colle reſedit.
Hîc, puri ſceleris, Diuino & pane refecti,
Excolimus Diuam; & iam quartâ exſoluimus horâ,
Auſpicijs fauſtis, Ançonæ ad littora curſum.
Namq́; pede extremo labens de ponte ruenſq́;
Mulus, lecticæ caſum, nobiſq́; parabat
Funera: continuò egredimur cùm concidit vndis,
Et redijt rurſus vectandi ad munera ſoſpes.
Ponè ſequens tum delphinus, dum fluctuat æquor,
Sponte ſuâ, nullis vexantibus aëra ventis,
Dat comitem ſeſe, & curuo nunc Nerea dorſo
Stat ſuper, & nunc illudens immergitur vndis.
Prædixit verò nimbos delphinus, & æſtum:
Nam ſimul Æſino tranſmiſſo ponte Tabernam
Ad littus poſitam (Ambuſtam dixêre coloni)
Attigimus, tetrâ tempeſtas nocte profundum
Turbauit, cænoq́; vias corrupit & imbri.
Sed Phœbo naſcente, dies redit ore ſereno,
Ac tutò ſpectare datur vicina frementis



Littora Neptuni, ſpumantibus acta procellis;
Ac Senonum dictos Gallorum nomine muros,
Et deteſtatum Pœnis tranſire Metaurum,
Sublicio longoq; recens à ponte ſubactum,
Nec non Fortunæ Fanum; noctemq; Piſauri
Sedibus exigere, & tabulis inſignia templa,
Roboreumq; decus magni ſpectare PalatI.
Picenum exiguo pontis coniunximus arcu
Dehinc, & Flaminiā, properamus Arimini ad vrbem
Pranſuri; & membris dulcem indulsêre ſoporem
Arua Sabignani, felici culta Lyæo.
Tum prætergreßi Cæſenam, Pompiliiq;
Tecta, Forum LiuI deuenimus: hîc, vbi amici
Plauſibus excipiunt gratis & diuite menſâ,
Nos mora grata iuuat; paruaq; Fauentia nocte
Præſulis hoſpitium præſtat, quem Purpura Senis
Abſtulit, illuſtrem meritis: tum, Sole tenente
Vix medium cæli, ſtetimus, dum pabula mulis
Sufficerent vires, Sancterni ad tecta quieti.
Hunc rate tranſnamus paruâ, celeriq; fluentem
Eridanum curſu ſuperamus; & vltima Phœbi
Linea cùm flammâ tenui vix ſpargeret Orbem,
Argentæ gratis epulis molliq; ſopore
Perfruimur noctu; & lauti data copia piſcis.

Manè,

Manè, hinc dum nebulis vicinas inficit auras
Flumen, ad octauam accepit Ferraria tandem
Incolumes, placidam laßis factura quietem.

XII.

DE ROMA.

ORbis Roma decus, dominatrix Roma Potentum,
Quàm benè conspicuum tollis ad astra caput!
Te fallax Fortuna timet, quando omnia vincis;
Nec tibi, quæ humanis iam nocuêre, nocent.
Vidimus annorum rabiem in tua damna furentem:
Vidimus illatas vrere tecta faces.
Ipse quoque iratus tumidis Pater obstitit vndis,
Albula marmoreas dum rapit vsque domos.
Pulchrior ipsa tamen vitam de funere ducis,
Vt Phœnix proprio nascitur è tumulo.
Perge igitur felix: te Diua volubilis auget;
Te quoque dum tentat perdere, cæca fouet.

XIII.

PESTIS ITALIAM POPVLATA ANNO MDC. XXX.

Poſt fluminum irruptiones, annonæ caritatem, ac bella, peſtis inſecuta eſt per vniuerſam Galliam Ciſalpinam. Hanc Auctor, Ferrariæ degens, nequaquam humanâ diligentiâ, ſed morum improborum mutatione, in quos inuehitur, & diuinâ ope, ad quam ſollicitandam hortatur, profligari poſſe canit.

ASſiduis quamquam ſtimulatum pectora curis
Fluctibus in medijs ſtomachi faſtidia terrent;
Mens tamen infracta eſt,& conſtans corde voluptas
Bella ſuper, fœdamq́; luem, & mendacia meſſis,
Scribere me patitur properanti Carmina venâ.
Impia, væ, miſeris præſunt quæ Sidera terris!
Quæ premet Italiam labes! Stat miles in armis
Vndique ab externâ diuulſus ſede; minaces
Torquet in Italiam vultus, Martemq́; duello
Prouocat; & noſtris ſuperimminet exitus oris.
Mantua iam decimo nutat ſub menſe, vetuſtum
Tormentis contuſa latus, confecta periclis:
Proximus auxilio Venetus quin miles ab ipsâ

Deie-

Deiectus statione fugax, ferroq́ peremptus:
Obsidione grauis Ferrati monte superba
Arx, inuicta diu, gemino timet impete vinci:
Et contracta sibi iam sentit regna Sabaudus,
Dum dolet amissas prærepta per oppida vires.
Sic placitum Superis, Germanum ad bella cieri,
Hispanumq́ Ducem, & Gallorum robora gentis.
Improba cunctarum rerum comitatur egestas:
Spem mentitus ager, toto non horrea lustro
Impleuit; steriles dominantur lappulæ in aruis,
Et lolium, nocuo perfundens membra sopore.
Non ver purpureum redolentia gramina promit,
Aut florum pleno diffundit copia cornu.
Inuidet Autumnus transacti temporis auras
Pomaq́; nec summo spumat vindemia labro.
Arida nequicquam placidos dum postulat imbres,
Torretur nimiùm Phœbo, rimisq́ fatiscit;
Inq́ vicem immani pulsatur grandine tellus.
Flumina quin etiam totas vndantia ripas,
Aggeribus ruptis, inimico vortice campis
Contigit abripere immensùm sudata colonis
Semina, & interdum falces præuertere curuas,
Et segetem strauisse, solo quæ putruit vdo,
Altior in medijs hæsit cùm piscis aristis.

Sed grauiora manent. Quænam vis tabida venis
Incubuit, rabido incendit quæ pectora morsu?
Germanis seu nata plagis contagia miles
Intulit in nostras, fœdis & sordibus oras
Inuasit; seu terra putris, turpésve lacunæ
Concepêre luem, socios quæ serpit in agros;
Seu grauis aëreâ genitus regione, maligni
Sideris aspectu populatur spiritus vrbes;
Italiam, Italiam, quondam dilecta Tonanti
Regna, tenet fatale malum: quamq; impia Martis
Vulcaniq; manus timuit lacerare, cruentis
Vertit funeribus gliscens nullo obice morbus,
Sæuior & bello & flammis prosternit humi Pax.
Insuber hæc primus percepit damna; Cremonæ
Mox ciuis: sed vterque necem sine clade suorum
Vitauit. Rursus redit in præcordia virus
Nunc, & funereo mæstos petit agmine manes
Insuber. At Parmæ, proh, quantùm infensior hæsit!
Nam sensim grassata lues, omnesq; recessus
Corripuit, populumq; imum, summumq; Senatum
Vulneribus cæcis æquali strage peremit.
Non illa Ordinibus Sacris, Claustrisq; piorum,
Non fera virginibus, puerôve seníve pepercit.
Defecit, propior medicus dum consulit ægro;

Conci-

Concidit & præbens cæleſtia Liba Sacerdos:
Anceps extremo mater dum munere, nati
Excipiátne abeuntem animam, num lumina claudat,
Quà celeris pietate, necis quà lenta pauore
Incubat, & calido tumulat ſua pignora cippo,
Seq́; , quod impleuit, claudit veſpillo ſepulchrum.
Quin proſtrata iacent triuijs inhumataq́; paſsim
Corpora, vt ex omni numeres vix vrbe trientem
Reliquias tabis. Vicina Placentia fato
Abripitur ſimili: funeſtâ at Mincius vrbe
Squallet, & internâ morbi plus cæde laborat,
Quàm timeat ferro vinci. Viduata colonis
Terra potens complet miſerandis queſtibus auras;
Infandum, ruit ad mæſtam longo ordine mortem,
Extremis procul exequijs, & honore ſepulchri.
Proxima ſuccedit ſtellis Verona ſiniſtris,
Vnâ ter centum deducens funera luce.
Non ars vlla leuat; quouis medicamine morbus
Paſcitur, & maior collectis viribus vrit.
Deſtituit prolem infectam pia cura parentum;
Vix, trepidante manu, protenſa decempeda victum
Porrigit, & cari refugit mala flamina vultus.
Ipſa viri coniux metuit tetigiſſe cadauer,
Tormenti genus, extincto nedum oſcula figat;

Et

Et trahit ingenti, mixtis vlulatibus, vnco
Innocuos artus labentem ad fluminis vndam.
Vidimus Eridanum diræ spectacula cædis
In mare torquentem geminato vortice busta,
Et requiem miseris orante poposcimus ore.
O vtinam nostris documenta hæc moribus addat,
Non pœnam sceleri vindex Deus! Altera nam vis
Deterior vexat: marcent, Virtute relictâ,
Pallentes animi. Videas, nil tale timentes
In medium dormire diem, lassataq́; somno
Membra refecturos, oculis spectare supinis
Aurea qui veteres ornant laquearia vultus;
Nequicquam & supra decies numerare tigilla.
Tum puerũ, Quis adest? clamant: dum crura, lacertos
Producunt, dum læua caput mollissima scalpit,
Spiritus & patulo resonans quater oscitat ore,
Imbelles Serum cinguntur vestibus artus;
Pectine cæsaries sensim palpatur eburno,
Aut semiardenti ferro crispatur in vndas,
Rubraq́;, se attollens, denudat barba labella:
Plurimus intexto dependet baltheus auro,
Ornamentum humeri, prælucens quem grauat ensis
Innocuus, cædisq́; expers, solemnia Iani
Qui pacata libens ClusI, vectesq́; veretur.

Turba

Turba salutantum intereà, quam pascit honesti
More satellitÿ, obsequio stipata per vrbem
Vix horam, tardo redeunt ad prandia gressu,
Ac lateri aduigilant, obliquo lumine cultum
Captantes domino, atque metus inferre parati,
Detracto si pileolo quis tardus adoret.
Cetera quid referam? proh, quantum ignobilis otî
Cæca libido tenet! Sublatis denique mensis
Puluinus fertur capiti, aut suasura quietem
Culcitra, vel nudi commendant corpora lecto,
Humida dum cerebro transmittit pabula venter,
Fumosas epularum auras, & vincla soporis:
Alea dehinc vigiles exercet ludicra mentes,
Paupertate potens opulenta euertere regna;
Aut lento recreat mollis gestatio motu,
Vix data patricÿs quondam carruca puellis.
Hinc desueta viris abeunt studia aspera belli,
Harpastum, lususq́ pilæ, fortisq́ palæstra;
Non cæsim glomerare manus, punctímve ferire,
Non properantis equi dociles inflectere habenas,
Non hastis agiles Troiano ludere cursu.
Torpens quin etiam delectamenta refugit
Rustica luxuries: non telo figere damas,
Non leporis superare fugam, non pulueris atri

Conce-

Conceptis pluuium flammis explodere plumbum
In volucrem, aut siluâ fugientem vulnere certo
Sistere aprum, validâ ferre aut venabula dextrâ.
Musarum frustrà fontes atque hospita Phœbi
Gramina perquiras: Academia tota recessit,
Atque effracta diu marcent subsellia Vatum.
Infelix iuuenum proles dediscit auitum
Robur & ingenium; patriâ leuitate docetur
Immodicos sumptus; artes pertæsa beatas,
Vix proprium obscurè didicit subscribere nomen,
Confertum titulis; & inani folle tumescit.
Ne pete, quâ Diuos recolant pietate, frequentes
Vt templis subeant; intenti vt pulpita seruent:
Accedunt, si quando vocat vesana cupido
Furtiuis oculis dominam libare precantem,
Seu trahit alloquium, seu mos, seu musicus illex:
Cetera sed plebem tangat pia cura; fatigent
Hi Superos queruli, & submisso poplite clament;
Non hæ Nobilium partes, humilesq; susurri.
Scilicet hoc messis vitiorum fonte redundat.
Hinc quæ dedecorum geminata repullulat hydra!
Non thalami tutela sui, non feruor honesti;
In Venerem violentus amor, turpesq; rapinæ
Nuptarum, & miserâ sublatus cæde maritus:

Haud

Haud seruare fidem pactis, operisq; negatæ
Mercedes, longo vexatæ iudice lites;
Et demum infami signatus vulnere vultus,
Ne repetat proprium mercator prouidus aurum
Vindice Iustitiâ. Scelerum nec maxima sunt hæc,
Nec secreta latent paucorum: publica lucem
Aspiciunt, & multorum communia: sannam
Contemnunt populi, & Vatum conuitia rident.
Ergo age, percipiant Diuinæ carmina vocis
Auribus, & promptis subducant terga flagellis.
Vltor adest Deus, & vicino fulmine terret.
Aspice; iam socius nostris in finibus ardens
Infelix parui consumitur accola Rheni:
Tuberibus vapor insultat, furit vlcere sæuo:
Corripit hunc morbus, dum mollis purpura vestit,
Tabificâ consuta manu: Nessæa venenum
Vndique palla gerit; tenui dat epistola filo
Perniciem terris; homines quin crebra nefandos
Fama refert, scamna, & postes, & strata viarum,
Templaq; mortifero circumspar sisse liquore.
O vtinam sit vana fides! Tamen omnia vincens
Certus adest horror: præfertur mortis imago,
Nostraq; iam secum defert armenta; relictæ
Labuntur pecudes; pronâ ceruice iuuencus

Emori-

Emoritur, vulgusq́ue unà procumbit equorum.
Ipsa etiam cæli facies inimica minatur;
Hinc trabe purpureâ, flammis hinc picta figuras
Ostentat visu horribiles: feruoribus aër
Turbidus, extemplò gelidis perfunditur auris,
Quas iterùm tepidi commiscet flatibus Austri.
Flectamus precibus conceptas Numinis iras:
Soluamus meritas primùm, Ferraria, grates,
Incolumes: hæc vna satis nos dextra tuetur.
Ingressum hospitibus negat interclusa malignis
Semita nequicquam: rigido custode repulsi
Abscedant portis; extrema nocentibus addas
Supplicia; expellas clathratis mœnibus hostem;
Externas merces subiectis ignibus vsque
Expurges; rarâ fument sartagine chartæ:
Nequicquam immoreris curis, vigilasq́ue, potentis
Ni manus ipsa Dei tecum custodiat vrbem.
Funde preces ergo Diuis: mala crimina pelle
Cum gemitu, meliorq́ue redi, sanctumq́ue piamen
Perficiens, sacræ Cereris conuiuia recumbe:
Forsan & hæc superas flectent moderamina mentes,
Et meritis, VRBANE, tuis, gratißime Cælo,
Pacatum terris Numen, te Præside, parcet.
Quòd si certa manet nostræ sententia cædis,

Nil

Nil moror; hinc animi, terrenâ labe soluti,
Et puri sceleris, repetant data regna beatis.
Grata & sera venit, Cælum quæcumque aperit, mors.

XIV.

DE AQVA IN LAPIDEM VERSA.

VNda terit lapidem, rigido quo carcere fertur,
Mollior vt spatio liberiore fluat.
Iam parat effugium; nocuo iam gurgite lambens
Semesum properat rumpere cursus iter:
Nobile seruitium docilis mox ferre per vrbem
Subsidens alueo se premit ipsa suo.
Quid non longa dies alienis moribus implet!
Aut quis Naturæ vultus in Orbe manet!
Marmor it in riguas, attritu mobile, lymphas;
Statq; rigens marmor, quæ modo lympha fuit.
Ne mirere, hominum lacrymis si dura liquescunt
Pectora, & à lacrymis iam resoluta rigent.



XV.

IN PICTORIS ALBANI OPVS.

Puer Iesvs ſe vouens Patri; atque Angeli, eius cruciatuum inſtrumentis illudentes.

Blandula Cæleſtum proles quæ ludit Amorum,
Ac diræ tractat barbara tela necis;
Hæc tibi, Die Puer, funus præuertit acerbum,
Et quod mente geris, mollius arte refert.
Lintea fert hic ſudanti, lora ille minatur;
Nititur hic tenerâ ſtringere flagra manu:
Ille facem geſtat, laqueos ille; ille columnæ
Hæret; ſed loculos ſubdolus ille tenet:
Hunc forceps iuuat; oſtentat clauum ille trabalem;
Dirigit ille haſtam; hic pocula felle replet:
Admouet hic ſcalas; librant gemini inde per auras,
Et gemini figunt pondera ad ima Crucem.
His circumfuſum paliuro te ille coronat
Pendulus, & calicem triſtior alter habet.
Suſpicis, & iuſto ſacras pia vota Parenti,
Alitibus medius qui procul axe venit.
Scilicet, alme Puer, mundum reparare ruentem
Ante diem pietas hæc tua corda premit!
Nec ſatis illa meæ ventura piacula culpæ,
Ni præmaturus ludat amore dolor!

XVI. SFOR-

XVI.

SFORTIÆ MARCHIONI PALAVICINO.

Principi Academiæ Humoriſtarum Romanæ obſequitur; à quo reuocatus ad Muſas manſuetiores, honorificè adſcribebatur inter Academicos: in quorum ſymbolum digitum intendit.


Ntermiſſa diu Carmina, & aſperæ
Iamiam aſſueta lyræ plectra ſilentio,
Quis rurſus vocat ad Mæonidū Choros,
Et me vatibus inſerit?

Quæ vis me latebris vindicat abditum,
Miſcet nobilium prodiga cœtui,
Adſcribit ſuperis? Tu mihi Apollinis
Inſtar, numine percitum

Implens laude tuâ pectus, amabilem,
Princeps, ſæuitiem ſedulus ingeris
Menti, & materiem Carminis auream
Das, & cum citharâ melos.

Tu iam Phœbus eris, cui roſeæ nitet
Maieſtatis honos, lætaq́ꝫ fauſtitas
Ori, & cæſaries fulua decentiùs:
Vernâ ætate beatitas

 Annos

Annos præueniens, cui decus arduæ
Virtutis properat meßibus addere,
Et palmis ſenior tergeminâ tuam
Frontem cingis adoreâ.
Ludentes choreis te medium ſuis
Circumſtare ducem Pierides canam,
Blandas imperio intendere ſub tuo
Docto carmine barbiton.
Dicam hóſne egregios nobilis otij
Luſus, quà liquido pingitur aëre
Nubes, & riguis decidit imbribus
In vaſti gremium maris?
Hac tu lætus ames dicier & coli
Titan in tabulâ, dum tenuem trahis
Senſum ex ingenijs mollè iacentibus:
Salſæ ceu REDIT AGMINE
DVLCI *idemq́; aliuſq́; in Tethidos ſinum*
Imber, ſic ſteriles ſcilicet euocans,
Gaudes dißimiles reddere ſpiritus,
Vnus dum vario nites
Motu, ſiderei luminis arbiter.
Curis an memorem te grauioribus
Intentum? populos queis regat artibus
Præſens Iuſtitiæ manus,

Seu

Seu ius cuique ſuum ſedula diuidit,
Seu pœnam ſceleri accommodat acrior
Æquam, multiplici mille volumina
Legum quæ ſtudio tegunt.
Alter non meliùs callet originem
Mundi, & mixta vagas ſemina per vices,
Quæ, alterno interitu viuida, fœtibus
Rerum tot ſpecies replent:
Qui motus ſuperis orbibus, & nitor
Stellis, quiq; regat, quidq; ſuâ queant
Vi, quæ mens hominem formet, ab æthere
Lethi neſcia deuolans.
Senſit qui Latio labitur alueo,
Miratuſq; ſtetit fluctibus altior
Tibris, dum veteri pandis ab exedrâ
Naturæ abdita, tertium
Vix luſtrum ſuperans: cumq; Deum & Sacra
Vidit, quæ ſuperis ſunt data mentibus,
Tractantem, & viridi tempora laureâ
Cingentem, medio ſenum
Conſeſſu, æquoreas impatiens moræ
Ad lymphas propero ſe tulit impete,
Terras ſollicito murmure in vltimas
Famam extendere geſtiens.

XVII.


HOROLOGIVM SOLARE.

EXplorat dum Solis iter cæliq; labores,
Nec nisi sub grato lumine viuit opus;
Disce vias Domini signandas passibus æquis,
Quod docet incisis muta tabella notis.
Sit splendens tua vita decor; quaq; ille recedit,
Hac quoque te extinctum viuere parte puta.

XVIII.

DE RVPELLÆ EXPVGNATIONE, AD CASSIANVM PVTEVM, EQVITEM.

Regis constantiam in obsidendâ laudat; Victoremque ad rebelles reliquos persequendos animans, in partem laudis vocat Consiliarium, & Cardinalem Sacræ Sedis Legatum, qui ea bella suaserat.



Nunc ô vetustis sume superbiam
Fastis nitentem, Gallia nobilis,
Virtute bellorum redemptam,
Atque nouis geminam triumphis.

Te non cruento Marte ferocior
Lux vna terris & pelago videt
Hostem domantem, pertinaci
Quâ Dominum renuebat arte.

Lux vna Cultus Fanaq́, iam diu
Direpta, summo restituit Deo;
Et prisca ceruices rebelles
In iuga supposuit regendas.
Frustrà Britanni Regia construit
Vrbes natantes per mare deuium,
Victuq́ & armis, ne perirent,
Suppetias tulit vsque belli.
Non æstus alti gurgitis impotens,
Non ore latrans Sirius igneo,
Hyberna nequidquam niuali
Bruma gelu, subitíve nimbi,
Aut multa diris machina mœnibus
Excussa, Regem terruit, arduâ
Quò sorte cedens, ad quieta
Otia & imperium rediret.
Senile menti consilium viget,
Et grande robur pectoris, aspera
Belli capessens: infidelem
Stat populum, latebris proteruum
Hucusque, sceptris reddere Gallicis,
Et euagatam sæpè licentiam
Frenasse. Iam fatale monstrum
Impietas cecidit, furenti

 Enata

Enata Auerno, quæ malè perderet
Vt Regna, sedem legerat æquore
Terraq́ mixtam: pertimendos
Sed Superi vetuêre casus;
Et magna Regis dextera contudit
Infame vulgus; néve colonias
Deducat errorum per Orbem,
Edomitum didicit timere.
Hæc signa Rex ô deferat vndique,
Assuetus acri militiæ, Deo
Tutante; præscriptum Parentum,
Et celebres titulos Auorum,
Christum colentum, victor adoreâ
Semper recenti ditior impleat;
Seruata quò tandem redonet
Relligio sine labe pacem.
Comes pericli, laudis & integræ,
Nitens galero & purpureo comas,
Armandus, his pergat potentem
Sensibus implicuisse Regem.
Tuq́; ô Beati spes Capitolij,
Regi Sacrorum proxime, fulgido
Insignis ostro, Barberinæ
Gentis & Ausoniæ renidens

Fran-

Francisce lumen; cui Latium refert,
Quòd Mars receßit bis procul Italis,
Et quòd pijs parcens, in hostes
Arma tulit metuenda Gallus;
Impelle rectos prælia in exitus,
Ducemq́; adurge, castra sodalium
Vt barbarorum persequatur,
Relliquias grauè olentis Orci.
Pestem latentem corpore Galliæ,
Scelusq́; gentis sedulus expiet,
Delubra Diuorum reponat,
Iusq́; pium, Themidisq́; leges.
Huc obsequentem flectere tu potes,
Francisce, Regem, quem tibi Sequana
Debet triumphantem, quòd olim
Eloquio ac pietate victum
Probata cælo hæc bella coëgeris
Geßisse victorem. Eia, Quiritium
Et Vrbis Heros purpurate,
Cara Deo referens trophæa
Suspende templis; nec tibi carmina
Lesboa tentet dicere barbitos,
Quando alta Virtus, quas meretur,
Spernit adhuc inimica laudes.

XIX.

DIES BACCHANALES ANNI M.DC. XXXI.

In nuptijs Io. Francisci fratris, ac Beatricis Tassonæ, Iulius Sacchettus Cardinalis Ferrariæ Legatus, Bernardinum Spadam Cardinalem Bononiæ Legatum, & Carolum Mantuæ Ducem, cum filio ac nuru Principibus, inuitauit. Ludi militares dati, machinis adhibitis, ac musicis cantibus. Tum Legatus Spada Comacli vrbem ac stagna lustrauit, oblectationis gratiâ. Auctor, qui omnibus illis interfuerat, sequenti die, bonâ fide, singula, ac mutuos etiam sermones, refert hoc Carmine; quod eidem Cardinali Bononiam misit.

TRistia si libuit querulo describere cantu
Funera, congestis vexantia cladibus vrbes,
Et mores dānasse malos; modò læta reponas,
Musa, licet, damnorum expers, intacta periclis,
Et castigatæ referas solatia mentis.
Viuimus, ô socij, medijs in cædibus vsque
Illæsi; gemino cursu defendit aquarum
Sic pater Eridanus, Venetis quà appellitur oris,

Et

Et quà piniferæ ſpectantur ſtagna Rauennæ.
Proxima quin Rheni proles videt ecce ſalutem,
Soſpes Apollineæ quam debet Felſina curæ
Purpurei Spadæ, quam bruma, & laſſa reducit
Funeribus Libitina ſuis. Ferraria, votum
Cælo ſolue libens, & flexo Numen adora
Poplite: non Baccho triuium, non compita ludant;
Non Venus inſultet campis; ſed caſta beatos
Tecum ſparge iocos, & frugi munere menſæ
Concipe lætitiam: nec deſit ſcena theatris;
Sed quæ virginibus rigidoq; ſit apta Catoni,
Moribus informet mentes, & viribus artus.
Incipe, fraternis prælucet ſidere fauſto
Iulius in thalamis, Superûm gratiſſima cura
Iulius, è claro deſponſam germine fratri
Qui iungit, ſancto religans connubia nexu.
Incipe, ſparge iocos, hilari conuiuia ſenſu,
Et circum innocuo celebrentur feſta lepore.
Pegmata vicino conſurgant æmula cælo
Vectibus arcanis; inferni mœnia Ditis
Oſtentent ſeſe flammis, & ſulphure tetro;
Aut imitata ſalum, tremulo trepidare laboret
Lympha leuis fluctu; timeat ſpectare corona
Naufragium puppis, fictoq; expalleat Orco.
Extem-

Extemplò niteant natiuis floribus arua
Et colles; fluuijq́ fugax obmurmuret vnda:
Hinc audax Phaëton, currus auriga paterni,
Decidat; hinc galeâ fulgens atque ægide Pallas;
Hinc sæuus Mauors; Titan hinc axe coruscus,
Et Venus & Veneris proles simulentur ab astris.
Sedibus Elysiis Troianus militet Heros;
Rupe sub Ætneâ gladium Titania proles
Efformet, rigidâque manus incude fatiget.
Romani vario transcurrat in æthere motu
Imperij Genius; Tiberis præterfluat vnda,
Et Padus, & Tuscæ non impar gloria gentis
Arnus. Vbi placidis complerint vocibus aures
Multisono cantu & gratis concentibus aulæ;
Aëra per liquidum fortes Ferraria ciues
In campum demittat ouans, fulgentibus armis
Et galeâ nitidos, ingens quam pluma coronet,
Vndique cristatâ: hos longis concurrere bello
Inspicias hastis, validoq́ effringere vtrimque
Pectoris occursu; mox nudis ensibus ora
Appetere, atque ictus iterare in casside cæcos
Ad mortem, ni tela Duces dirimentia rixam
Opponant, irâque graues in castra reducant.
Hos inter, geminos tenerâ certamen amores

Con-

Conſerere armatos dextrâ , lethumq́; minari,
Militiæq́; pares credas puerilibus annis.
Dulce decus ludo ſpectatrix turba miniſtret;
Heroëſq́;, equiteſq́; ſimul, iuueneſq́; ſeneſq́;,
Matronæ, nuptæq́; vnà , mixtæq́; puellæ
Aßideant gradibus : medio ſed Sponſa theatro
Vna ſupra cunctas niueo candore Beatrix
Purpureùm niteat ; cui ludi & ſcena laboret,
Cui celebrata ſuis ducantur feſta triumphis.
Ardeat obtutu dilectæ Coniugis vno
Franciſcus; veroq́; aſſuetus pectora Marti,
Ludicra Alexander dignetur bella parare.
Iulius, Eridani placido moderamine gentem
Qui regit , & ſacro præfulget nobilis oſtrò,
Gaudeat obſequijs præſens, cumuletq́; theatrum.
Regia conueniat Germanis ſoſpes ab armis
Gens Gonzaga, feris belli vexata procellis,
Non animos demiſſa tamen. Stet Carolus ore
Magnanimus læto; nurus hinc, & natus, & aulæ
Grata cohors , dudum amiſſos quos Mantua plorat.
Tuq́; ô Felſineæ moderator prouide gentis,
Laurea cui circum crines & purpura ludit,
Laudatum venies, doctâ ſtipante coronâ,
Et ſcenam , & thalamum, & ficti ſpectacula belli.

Mox

Mox vbi perfunctis Baccho, ieiunia ſacri
Indicent cineres, noſtris ſpatiabere in vndis;
Nec priùs Italicam Rheni remeabis ad vrbem,
Quàm te detineant piſcoſi ſtagna Comacli.
Digreſſos tecto poſt Phœbi exordia, lintre,
Quà Padus in geminum ſcindit ſe paruulus alueum,
Heſperus Argentæ dabit hinc appellere muris.
Intereà dum nauta regit temone, trahentemq;
Vrget equum ſocius fuſte, & retinacla gubernat,
Ducentur placidis Muſarum gaudia curis,
Seu tua Mantoum vincentia carmina Vatem,
Seu rhythmis mirer, natiuâ & condita linguâ.
Tum fidibus tentare melos, digitiſq; loquaces
Mobilibus velox huc illuc pellere chordas
Orpheus, Hiſpanâ Regis digreſſus ab aulâ;
Pectine concentus alter cui reddere eburno,
Et variare ſonos. Ligurem committere Gallo
Ad rixam libeat modò, dum certamina gentis
Quiſque ſuæ, veteres gaudet ceciniſſe triumphos.
Scommata feſtiuo ſuccedant iacta lepore,
Et riſum moueant præclara poëmata Vatis,
Qui duro Solymas arces canit hoſte receptas,
Felſineis mutata modis, trunciſq; ligata
Vocibus, inq; rudem vulgi conuerſa loquelam.

Tum

Tum nauis iuuet obductas aperire fenestras,
Amnis & vndisoni ripas spectare fugaces,
Et puppim ascensu superare, & noscere campos.
Ad læuam villas inter Gaibana nitentes,
Nec procul Estensis laudata palatia Borsi:
Dextera habent valles, olim dixêre Padusæ
Stagna; illinc tenui fluitabat Sandalus vrnâ;
Hinc memorata diu stat Molinella vetustis
Cædibus, Herculeo & Veneto dum milite Vbaldus
Sistitur Vrbinas, Tusco & gens exul ab Arno.
Luce nouâ Argentâ soluemus, & amne secundo
Cernere erit quà bellantum Bastîa cruorem
Miscuit Eridano, cùm Alphonsus in agmina victor
Roborei Patris, feruentibus irruit armis:
Nauibus antiqui iunctis nam fortè Vatreni
Zaniolam hîc tacito traiecit milite fossam,
Atque Duces subitâ perculsos strage peremit,
Dum Prolegatus Rheni vix sospes ad arua
Euadit profugus, Martisq; pericula damnat.
Mox Longastrini læuo nos aggere nauis
Altera traiecto, salsis & fluctibus æquor
Excipient. Spatijs latè diffusa solutis
Stagnat planities, nullis exculta colonis;
Non iuga sentit ager, nec adunco cedit aratro.

Parua

Parua ratis ſuperat, pellentibus incita remis;
His docti faciles verſare ligonibus vndas,
Et calamo tenui contexta mapalia terræ
Condere, quà ſurgunt tumuli. quin cura recentum
Ædificare caſas didicit; cæmenta redemptor
Et lateres vectat, mediiſq́; addenſat in vndis.
Nereus Hadriaco populis alimenta miniſtrat
Grata ſinu; geminis valles interfluit oris,
Alternatq́; vices, & certis legibus arctas
Itq́; reditq́; vias; ac tandem diuite venâ
Ingreditur, piſceſq́; parens ad ſtagna meantes,
Innumeras acies, & denſa volumina ducit.
Paruula limoſo concreſcunt ſemina fundo,
Et venit vndarum meßis, cùm ſidere læto
Scorpius, aut lunæ complet vaga cornua Libra,
Turbaturq́; polus, nocturnumq́; æſtibus æquor.
Lucida tunc odiſſe iuuat cæli Aſtra ſereni,
Ventorumq́; graues optare in prælia vires:
Poſtulat id Superos communi voce Sacerdos
Ante aram, precibuſq́; ſacris pia vota ſecundat.
Vna hæc fœcundat valles atque arua Comacli
Tempeſtas pretioſa freti, & benè nubila Phœbe.
Néue ſuum repetens poſſeſſa in regna reponat
Turbatas vndarum animas, ſua pignora, Pontus,

Crati-

Cratitijs gemina occluduntur mœnibus ora,
Ora adaperta dolis aditu, ſed clauſa regreſſu;
Et ſua piſcatrix partitur munera turba.
Limite arundineo diſtinguit quiſque paludes,
Ordine ſub duplici, paruus quà interiacet agger:
Tum ſocios operi iungit, pretioq́; coëmptam
Partem quiſque ſuam cuſtodit, & intima format
Cuſpidis in morem geminato carcere clauſtra.
Seu tractare manu libeat, ſeu figere telo
Piſces; vimineis ſeruantur caſsibus illi,
Hi lembo occluſi terebrato; morte peremptos
Pars ſecat in longum, ſalſoq́; adiungit aceruo.
Hinc rerum genti cunctarum ſuppetit vſus;
Hinc aurum, quo læta Ceres, quo munera Bacchi,
Quo Pallas, veſteſq́; vnà vectantur ad vrbem.
Ipſa mari propior Titanis conſpicit ortum
Vndis clara ſuis; Padus hinc, atque effluit inde
Auſter Primarum dextrâ, Septentrio præbet
Volanam læuâ, portus, & fluminis ora.
De ſe ſi cupias ciues audire loquentes,
Atque etiam libeat paruis componere magna,
Æmula vel ſimilis Venetæ celebrabitur vrbi,
Longior vt quantò, tantumdem pullulet illi
Ab radice minor; medias fluxiſſe carinas

D *Dat*

Dat via per fluctus, ſicco veſtigia greſſu
Pars laterum firmat, crebris atque arcubus altè
Innixa, Hadriacas imitatur pontibus artes.
Si ſatyram ſpectes, & Vatum iurgia quæras;
Piſcigenum vulgus cœnoſas incolit ædes,
Quas limus tetro corruptus complet odore.
Turba comes, praui culices, ni rana paluſtris
Officioſa tibi ad menſam lectumq́; recurret.
Quæ mala Sidonius doluit preßiſſe Rauennam,
Ordine peruerſo naturæ immota putreſcit
Vnda, cadunt muri, fluitant cum turribus arces,
Hærens cymba ſedet, non ſurgit & ambulat æger,
Ipſe iacet medicus, geminatis balnea flammis
Algent, ad ſubitas conflagrant tecta fauillas;
Viuentes in aquis ſitiunt, nant oſſa ſepulchris.
Credere ſit neutri: ſe noſtris aſtruat illic
Certa fides oculis; ciuis nautæq́; nitere
Inſpexi vultus, Iani cùm bruma coactum
Aſtrinxit glacie ſtagnum, quam multa ſecuris
Frangeret ante ratem, atque aditus aperiret in vndis.
Tunc ego duratas pedibus tranare paludes
Ludentes vidi mergos, fulicaſq́; ſequaces:
Quin canibus lepores ſectatus, vbi arida tellus
Vix tenui tractu diſcriminat æquore valles,

Et quà visceribus subter fons dulcis amaris
Surgit aquæ, populis vsum potumq; ministrans.
Scilicet hæc nobis oblectamenta paramus:
Numine felici sospes Ferraria ludos
Innocuos dabit, & rectæ bona gaudia mentis;
Seria mox valido repetentur munia sensu.
His ego iucundis adero comes, & fruar vltrò
Laxamenta petens animo. Quondam ipse tacentem
Suscitat ad carmen plaudenti pectine musam,
Nec semper rigidos arcus intendit Apollo.

XX.

DIES VERNI APVD VBIOS

ANNO CIↃ. IↃC. XL.

N*Ingit nocte, pluit manè, afflat tertia, feruet*
Sexta, gelat tum. Vnum quis putet esse diem?



XXI.

DE B. PETRO PETRONIO CARTHVSIANO.

A Pietate laudat; atque ab Humilitate, quâ permotus, ſiniſtræ manus indicem ſibi abſciderat, ne Sacerdos promoueretur.



Irtus, ad imum neſcia deprimi,
Velox citatis fertur ad æthera
Pennis; nec vmquam æui fugacis
Fata nocent, dubijſve præceps
Fortuna telis. Hac petijt Polum
Vectus curuli nube per aërem
Diuinus Heros; hac triumphans
Fama canit, geminumq́ue viuax
Præcurrit axem; nec ſibi terminos
Præſcribit vllos, cùm meritis neque
Sit meta ſummis. Vidit olim
Sena parens humilem, Tonantis
Sacrum negantem tangere Corporis,
Læuæ reſectâ parte: ſed interim
Sinus, decorâ ſede, cordis
Ara Deûm rutilans fouebat.

Pru-

Prudens, remoto qui indice ſemitam
Signauit Orbi, quâ medium mare,
Mortemq́; tranſgreſſus minacem,
Aſtra petat, placidumq́; littus.
Huic poſt ferendus Mutius; & tenax
Pompeius acrem miſſus ad Illyrin;
Vtroque maior, ſpreuit ignes
Tartareos, aliena ſoluens
Delicta pœnis. Ergo perennibus
Obliuiones laudibus inuidas
Vitabit, & mutum ſuperſtes
Gloria poſt cinerem vigebit.

XXII.
IN OBITVM FELICIS SAMVELIS RATGEIESCII, POLONI.

ÆGer Apollineâ precibus dum quærit alumnus,
Et medicam blando Carmine poſcit opem,
Labitur in ſomnum, dulcedine captus Apollo,
Nec puero gratas admouet vſque manus.
Sic Felix perit infelix; quaq́; ipſe medelam,
Et longum petijt viuere, funus habet.

XXIII.

DE EODEM.

SPargite Castalides tumulum, date carmina Diuæ,
Quà extincti pueri busta decora nitent.
Vixistis quo Vate diu, modò gratia par sit:
Debet hic in vestris viuere Carminibus.

XXIV.

DE DIVA MARIA MAGDALENA.

IN GRATIAM EHERARDI SARACENI EQVITIS.

Fluctibus expositæ in solutili cymbâ, faustum iter precatur; ac prędicit, quę post appulsum in Galliam euentura erant, propagato Baptismo, ex illo: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.*



SIc te diua Dei Parens,
Sic cæli Proceres, lucida sidera,
Sic ponti regat Arbiter
Immensi, sacer & Numinis Halitus.
Nauis, quæ tibi creditam
Debes Magdalidem cum sociâ manu,
Reddas incolumem precor,
Et serues animæ præsidium meæ.
Frustrà sæuior æquoris
Vndâ Rex Solymus, fraude solutili

Cymbæ

Cymbæ compoſuit dolos.
Euincet leuior cuncta pericula
Inconcuſſa minacibus
Neptuni fragilis cymbula viribus.
Felix remigio, feris
I conſtantior exercita fluctibus;
Perfer, nobilior nouo
Teq́; accinge operi, prælia claßibus
Motura indomitæ Stygis.
Non ſic tot feret in Tartara portitor
Prædas, dum rate paruulâ
Tranſcribi ſuperos cernat in ordines
Tot magnas animas, gemens
Addi ludibrio turpius otium.
O quantum Oceani natat
Vndis diuitiarum! Emicat Aureum
Vellus, quod pretio mala
Tollit degeneris crimina ſæculi.
Hæc Argo melioribus
Mox afflata modis, carmine concinet,
Anguſtam in Cererem, Deus
Quâ duci cupiat ſub prece mobilis:
Elatum Fidei genus,
Auctoriſq́; Dei dogma recentius.

Isthæc vos, socij, manet
Sors, vt Maßiliæ gens (trabe sutili
Emenso maris impetu)
Vestro addicta nouis munere Legibus,
Addatur Capitolio,
Heroum numero inserta decentior.
Me saxa, & vacuum nemus,
Et desueta feris antra fugacibus,
Siluæ mensa beatior,
Et somnus gelidi me lapidis iuuet.
Idem non decor omnium est:
Vos maiora vocant: quiq; tenet ratem
Quassam Spiritus integer,
Formabat tenerum sic ab origine
Mundum ex Oceani vadis.
Idem nostra pius crimina diluat,
Et lustret genus impium
Post mollita Patris fulmina sanguine,
Sacris Magdala vocibus
Dum facunda trahit corda sodalium,
Seruent mite silentium,
Edixit rapidis flatibus Æolus;
Nec nauis mare sorbuit,
Et tranquilla dedit murmura Nereus.

XXV. SE-

XXV.
SEPVLCHRALIS VRNA PRO FONTE, IN ATRIIS ROMANORVM.

Marmor, quod quondã cineres atq; ossa tegebat,
Nunc fons irriguo murmure fundit aquas.
Nempe breuis queritur trepidantia tempora vitæ,
Et quæ seruauit funera, forte gemit.

XXVI.
DE EODEM.

Rerum disce vices: abit in cratera sepulchrum;
Quaq; cinis steterat, mobilis vnda fluit.
Hinc hospes ne pelle sitim; sed parciùs hauri,
Ne redeat, crater quæ fuit, vrna tibi.



XXVII.

IN PORTICV VILLÆ CHISIÆ.

Tertio à Senarum vrbe lapide extat (vulgò *Le Volte)* vbi exceptum hoſpitio refert Paulum III. Pont. Max. anno M. D. XLI.

QVæ te naſcentem felici ſidere quondam
Muneribus natura ſuis cumulauit, & inter
Perſpicuos leni properantes murmure riuos,
Frugiferoq́ſ ſolo, & cælo gaudere ſalubri,
Chiſia villa, dedit, faciliq́ſ aſſurgere cliuo;
Maximus vnde hominum cuſtos, & maximus idem
Sacrorum Princeps PAVLVS, *Tyrioq́ſ verendus*
Murice Alexander, primæuo flore iuuentæ
Maturâ virtute Nepos, ſuccedere tectis
Haud renuêre tuis, Dominiq́ſ accumbere menſæ
Seruorum, cùm Sol à partu Virginis octo
Supra tercentum luſtra exegiſſet, & vnum
Penè annum, quartâ Septembris luce; ruentum
Exitio cùm fortè Pater ſuccurrere rerum
Anxius, ad CAROLI *congreſſum Cæſaris vltrò*
Lucam tendit iter, ſeniiq́ſ oblitus & Vrbis:
Hæc eadem natura tibi meliore feraces

Nunc

Nunc quoque prouentu campos fecundet & vndas,
Gratior accipias hilares vt semper amicos,
Heroumq́; nouo læteris semper honore.

XXVIII.

IBIDEM ALIO IN MARMORE.

Anno CIↃ. IↃC. XXII. Magnum Etruriæ Ducem, Fratrem, Patruum, Matrem Austriacam, Auiam Lotharingam, ac Vrbinatem Principem, eò diuertisse animi causâ.

HEroum, ingenti qui te dignantur honore,
Nobilis hospitio domus, i contermina cælo
Culmine conspicuo, & Phœbo meliore nitentem
Adde diem fastis, solidoq́; in marmore serua.
Libra bis octonis superest quæ candida lustris,
Tres & viginti læto tulit omine Soles,
Ex quo Farnesio generosus sanguine Princeps
Maximus hîc Præsul PAVLVS *requieuit amicè.*
Non vno posthac Regum lætabere prolis
Accessu; Lotharinga decus Christina vetustæ
Gentis, & Austriacis insignis Magdala sceptris,
Roboreusq́;, patri & patriæ spes vnica, Vbaldus,
Mediceumq́; genus, fulmen Laurentius olim

Ventu-

Venturum bello, & Magnus, cui Tuſcia paret,
Nomine Auo ſimilis Fernandus, Carolus inde,
Mathiaſq; puer, poſtquam venatibus agro
Indultum ſatis; huc tandem ſeſe atria circum
Tanta cohors recipit, non dedignata clientem.
Hoſpitis obſequium vultu complexa ſereno
Tecta ſubit, dapibuſq; ſibi gauiſa paratis,
Luſtrauitq; ædem, & poſitis dedit otia curis.



XXIX. IN

XXIX.

IN OBITV MARIÆ MEDICEÆ, MANTVÆ DVCIS OLIM, TVM SENARVM GVBERNATRICIS.

Venientem, nocturnis ignibus Vrbs, Saturni Dramate Academia, exceperat; ſed intra biennium conuerſa eſt in luctum lætitia. Eius laudes recenſet, & quàm amplè eidem parentatum.



Entis pròpago Martia Dardanæ,
Et imperantum, Sena, Quiritium
Examen, Hetruſcis colendum
Vrbibus, Oceanoq́; natum:
Parentis olim Virginis in ſinu
Renata Cælo; Cæſare Gallico
Exempta damnis barbarorum;
Inde tuis moderanda ſceptris:
Vrbs priſca, tandem Principe Tuſciæ
Regnante felix, excipe lugubres
Quos Muſa cantus profluentem
Ad Tiberim miſerata fundit.

Proh!

Proh! quàm fugaci ſe pede proripit
Statim per auras aurea fauſtitas
Iactata Saturni, breueſq;
In tenebras abiere ſoles!
Non æqua ſors, heu, quàm citò gaudijs
Amara miſcet! quàm malè per vices
It maior ærumnis, feroq;
Inijcit arbitrio tumultus!
Phryxi nitentis vix redit altero
Iam Vere ſidus, credita cùm tibi,
Auguſta Præſes, quæ perempta
Funere lætitiam rependit.
Certans Olympo, turribus arduis
Illuxit omnis multiplici face
Vrbs nocte, feſtis expetitam
Obſequijs venerata matrem:
Mox ordinantem Res benè publicas,
Clariſq; dantem munia ciuibus,
Solamen ægris, improbiſq;
Exitium ſupereſſe vidit:
Hinc aucta cultu templa frequentia,
Compreſſa morum dira proteruitas,
Summota paupertas piorum,
Compoſitæ ſine cæde rixæ:

Hinc dempta luxus cæca licentia,
Allecta Virtus laudibus acrior;
Hinc copia affluxit, benigno
Sæcla ferens rediuiua cornu.
Sed crescit illinc, heu! miserabilis
Mensura luctus: verte doloribus,
Sena, ô repentinis, ademptas
Quas memoras gemebunda dotes.
Ferale nunc ô compita compleat
Funesta carmen: Cynthia lumina
Disposta quot vidit theatris,
Cùm Dominæ venientis orà
Optata vidit; per fora turbidus
Titan cadenti nunc totidem data
Funalia inspectet, ruensq́;
Lampadibus furiata circum
Ludat iuuentus, deuia concito
Subinde cursu, seria pectore
Seruans inextinctos honores,
Et lacrymas renouans sepulchro.
Tuq́; ô Camænis turba Philomathûm
Sacrata Vatum, quem querimoniјs
Dices pudorem? næniamq́;
Quam modò carminibus repones?

Imago

Imago qualis ſaxea Memnonis,
Naſcentis aſtri tacta nitoribus,
Prædulce reſponſat, canenſq́;
Æolijs fidibus reſultat;
At occidentis percita lumine
Phœbi, querelis ægra remurmurat,
Et tibiâ durùm obſtrepente
Per Phrygios modulos citatur:
Sic luce caſſam tu quoque Principem
Flebis, ſuperbo pegmate quâ diu
Lætata, quando ætas reuixit
Falcigeri celebrata Diui.
Non vna luctu tu tamen inclytæ
Duci parentas. Florida labitur
Quà pulcher Arnus per fluenta,
Magnæ animæ exuuijs paratur
Sublimis vrna, & Mygdonijs procul
Deſecta campis marmora, regiæ
Moli ſacrantur. Stant auita
Magnanimi monumenta Regis;
Fernandus, olim gloria Purpuræ,
Mox ſceptra ſumens ſtat tumulò Pater,
Primaq́; Germanus iuuentâ,
Quem rapuit Libitina, Coſmus:

Hinc

Hinc iuſta Natæ ſat Lothari genus
Chriſtina ſoluit, funeribus ſuis
Viuax ſenectus, & decora
Auſtriacis mulier triumphis;
Laurenſq́, & oſtro Carolus emicans,
Regnanſq́ pubes, ſanguinis inclyti
Et tota proles allaborat
Funereos decorare manes.
Quin ipſa mæſto Mantua Mincio
Matrem fatetur luctibus, & cinis
Gonzaga tædis incaleſcens
Gliſcit adhuc ſociare buſta.
Latè illa terris flebilis occidit;
At, Sena, multò flebilior tibi.
Ergo ſupremum redde munus
Funeris exequias merenti.
Sed parce queſtu: quin potiùs lyrâ
Seris canendam trade nepotibus,
Diuûm ſupernis quam choreis
Relligio & benefacta miſcent.
Hanc tu coruſcum ſollicitâ prece
Verêre ſidus, ſi manet integra
Poſt fata virtus, ſi beato
Reſpicit intuitu procellas.

E XXX. AD

XXX.

AD VRSVM COMITEM ILCIVM.

In gratiam Hectoris Ninij, cùm ei primam ex Senecæ Tragœdijs dedicaret, Hetruſco ſermone ac rhythmo donatam.



Væ iam cothurno nobilis Attico
Regum timendos Melpomene canens
Regina caſus, grandiore
In Latium ſonitu euolauit,
Scenaſq; Athenis prætulit Italas,
Præſens theatris ſeu lacrymabiles
Videre vultus, ſeu timentes,
Aut trepidum furiare pectus;
Nunc vincta Tuſci cyclade carminis,
Nouoq; gaudens eloquio, ad tuum
Accurrit aſpectum, tuoq;
Nomine amat decorare frontem,
Hetruriæ Magni ô Ducis vnice,
Vatumq; Mecœnas. Sibi te decus
Annæus hic vult, te beatum
Quem gremio Charites tulerunt

Muſæq;

Musæq; Pindi, Socratica & domus
Fouere adultum; quem sibi Regia
Extrema Iberi experta, mores
Et fidem & ingenium probauit;
Quem consulentem inter Proceres amat
Vocatq; Mentem Curiæ, & arduas
Res ordinare præpotentem,
Egregius Dominator Arni.
Victore tandem te perit impius
Liuor; nec annorum rabiem timet
Obliuiosam, quando Virtus
Legibus inuidiam coërcet.

XXXI.

AD ANGELVM GRYLLVM;

Cùm in lucem ederet Carminum libellum, præfixo titulo PIORVM AFFECTVM.

PRisca fides Ligurem sileat, quem funus acerbum
Plorantem ad superas fert abiisse plagas.
Sumpserit albentes plumas, propioraq; letho
Tempora festiuis vocibus ille canat.
Magne Senex, niuei reddis miracula Cygni
Nobis, & cantu nobiliore gemis.
Par senium vultu, Ligurum par gloria gentis;
Dispar laus querulo sed tamen ore sonat.

Impuros vagus ille; pios tu quæris amores:
Hic propè quàm terras, tam procul ipse volas:
Exequiale sonans illi est vox nuntia mortis;
Ipsa tibi æternùm Musa superstes erit.

XXXII.

AD VIRGILIVM MARCHIONEM MALVETTIVM.

In gratiam Hectoris Ninij, cùm secundam ex Senecæ Tragœdijs dedicaret, Hetrusco sermone ac rhythmo donatam.



Er Astra quò te corripis arduum,
Claroq; pictas lumine semitas
Transcurris Heros? O vetustæ
Grande decus columenq; gentis,

Descende paullùm, munera deserens
Præclara mentis, quâ sociabiles
Musæ pererrant, & decentes
Phœbus amat genialis vmbras.

Seu per latentes prouidus omnium
Scrutare causas, iam Sapientiæ
Consultus, & terræ labantis,
Et superi benè doctus orbis:

Seu,

Seu, quæ beatis dogmata Patribus
Lucis retexit Conditor, aſpicis,
Deumq́, diuinaſq́ formas,
Et patrij decus omne Olympi:
Seu, Ciuitates quis deceat ſtatus,
Queis corrigantur moribus, edoces;
Quid bella, quid paces, quâ & arte
Sceptra cadant, maneántve, in auras
Dediſſe ſolers, dum ſagulum geris
Equeſtre, florentem & ſenio volans
Præcurris ætatem: remitte
Ingenium leuiore curâ;
Nimiſq́ Tuſcis excipe Vatibus
Graues cothurnos, Mæonidum choro
Sat notus hoſpes, & Parentis
Nomine iam patiens vocari.

XXXIII.

HOROLOGIVM PVLVEREVM.

L*Ympha olim vitæ diuiſit mobilis horas,*
Quà ſeruat gratas mollis arena vices.
Scilicet haud æui potis eſt ars ludere curſum,
Quin referat, quæ te ſeria damna premunt.
Tempora per lacrymas monuit properare cadentes;
Nunc properante monet funere, quantus eris.

XXXIV.

VOLVMNIO BANDINELLIO.

Ostenderat Auctori Poëma dramaticum, nuper impressum; eiusque sententiam rogauerat: hanc ipse eodem die, post lectam operis præcipuam partem, candidè ac familiariter sic expressit.

BVrenum, si nosse petis, me iudice quantum
Quódve Poëma sit, an flammis an luce probandũ
Crediderim; ingenuum, satyræ de more, faterer,
Si, quondam quæ maior erat Venusina loquendi
Simplicitas, & quod dubijs in litibus acre
Iudicium Flacco, hæc eadem mihi fata dedissent.
Non impunè tamen studijs melioribus horas
Nequicquam abstulerit variâ farragine sartum,
Quòd noua, quòd vetera, & nimiũ tot dissita iungit
Drama: sed hîc breuiter sensus penetralia pandens
Edicam. Fuit his vnus de plebe diebus,
Qui Bacchi latices biberat, geniumq; recenti
Versabat variè fecundus imagine rerum;
Hic galeam capiti apposuit, rubrum inde galerum,
Mox regis diadema, togam superinduit atram,
Pòst multas pelles, plumas, & pallia centum;

Denique,

Denique, ne multis, Regem, ciuemq́, Ducemq́,
Et Capitolinum heroem ſeſe eſſe putabat,
Agricolam, & maris & terræ cæliq́ animantem.
Dicebam: Quodnam iſta recens eſt machina monſtrũ,
Pannoſumq́ chaos? tacitâ aut quanam arte mouetur?
Vſque adeò inſipiens dum vult eſſe omnia nil eſt;
Et malè confuſo non noſcitur ordine rerum.
Huic non abſimilem ſpeciem mihi reddidit iſta,
Cui nec nomen adeſt vnum, nec lingua: animoſus
Nam ſibi cunctorum cupiens encomia Vatum
Auctor, Pacuuium gaudet iunxiſſe Maroni,
Papinio Plautum miſcet, Senecæq́ Catonem,
Verbaq́ bis ſenis ſupponit rapta tabellis;
Atque antiquatis ſenſum ſub vocibus ipſæ
Perſonæ ignorant, auditor & ipſe requirit.
Sic ſibi dat meritam præſens audacia pœnam:
Qualis quæ terras exoſa eſt barbara viles,
Affectans cælum, vario gens murmure voces
Prodidit incomptas, nequicquam audita, ſuperbum
Liquit opus; nec par Superis ſtetit ardua moles.
Maxima pars hominum, ſermoni intenta Latino,
Arripit ex omni conſuetas tempore voces,
Tentatura nouas artes: diſconuenit ille,
Offenditq́ aures clamor, variatq́ tenorem.

 Vt

XXXIV.

VOLVMNIO BANDINELLIO.

Ostenderat Auctori Poëma dramaticum, nuper impressum; eiusque sententiam rogauerat: hanc ipse eodem die, post lectam operis præcipuam partem, candidè ac familiariter sic expressit.

Brenum, si nosse petis, me iudice quantum
Quódve Poëma sit, an flammis an luce probandũ
Crediderim; ingenuum, satyræ de more, faterer,
Si, quondam quæ maior erat Venusina loquendi
Simplicitas, & quod dubijs in litibus acre
Iudicium Flacco, hæc eadem mihi fata dedissent.
Non impunè tamen studijs melioribus horas
Nequicquam abstulerit variâ farragine sartum,
Quòd noua, quòd vetera, & nimiũ tot dissita iungit
Drama: sed hîc breuiter sensus penetralia pandens
Edicam. Fuit his vnus de plebe diebus,
Qui Bacchi latices biberat, geniumq́; recenti
Versabat variè fecundus imagine rerum;
Hic galeam capiti apposuit, rubrum inde galerum,
Mox regis diadema, togam superinduit atram,
Pòst multas pelles, plumas, & pallia centum;

Denique,

Denique, ne multis, Regem, ciuemq́, Ducemq́,
Et Capitolinum heroem ſeſe eſſe putabat,
Agricolam, & maris & terræ cæliq́ animantem.
Dicebam: Quodnam iſta recens eſt machina monſtrũ,
Pannoſumq́ chaos? tacitâ aut quanam arte mouetur?
Vſque adeò inſipiens dum vult eſſe omnia nil eſt;
Et malè confuſo non noſcitur ordine rerum.
Huic non abſimilem ſpeciem mihi reddidit iſta,
Cui nec nomen adeſt vnum, nec lingua: animoſus
Nam ſibi cunctorum cupiens encomia Vatum
Auctor, Pacuuium gaudet iunxiſſe Maroni,
Papinio Plautum miſcet, Senecæq́ Catonem,
Verbaq́ bis ſenis ſupponit rapta tabellis;
Atque antiquatis ſenſum ſub vocibus ipſæ
Perſonæ ignorant, auditor & ipſe requirit.
Sic ſibi dat meritam præſens audacia pœnam:
Qualis quæ terras exoſa eſt barbara viles,
Affectans cælum, vario gens murmure voces
Prodidit incomptas, nequicquam audita, ſuperbum
Liquit opus; nec par Superis ſtetit ardua moles.
Maxima pars hominum, ſermoni intenta Latino,
Arripit ex omni conſuetas tempore voces,
Tentatura nouas artes: diſconuenit ille,
Offenditq́ aures clamor, variatq́ tenorem.

Vt quondam iuuenes, dum Bacchanalia ludunt,
Conclusos catulos arcâ vexêre quadrigis
Per fora, per plateas, circum caudasq́ue ligarunt,
Quas mox transmissis per mille foramina loris
Attraheret cantûs præses, raucasq́ue seorsum
Seruaret voces, inde atque subinde latrantum:
Horum sub numero claudit se Belgicus ille
Ferreus & Plauti, & Senecæ, Tacitiq́ue colonus,
Rhetoris ignarus Fabij quid pagina dicat,
Discipulis prohibens puro cum Cæsaris æuo,
Ne desueta senis committant verba Catonis,
Quæ neque dixisset Cato, si tunc viueret. At me
Tantæ Burenus reuocat nouitatis amator,
Qui non verba sibi solùm, sed totum opus antè
Vlli intentatum princeps eduxit ad auras,
Virgilij exemplo, Flacci, doctiq́ue Lucreti;
Qui sic Pieridum peragrant loca, nullius antè
Trita solo: iuuat ire iugis, quà nulla priorum
Castaliam molli diuertitur orbita cliuo,
Et primùm Latio Parios ostendere Iambos.
Sed malè, quod prisco licuit, iam tempore nostro
Ille etiam licuisse putat. Cùm quisque Latinum
Redderet eloquium, viuens ea lingua vetustos
Et valuit mutare modos & ferre recentes;

Augeri, minuiq́ suis quoque vocibus ætas,
Vt siluæ folijs pronos mutantur in annos:
At postquam antiquæ perijt facundia Romæ,
Quam nos ex mutis tentamus ducere chartis;
Nec sat, quæ quondam fuerit, nouisse valemus,
Nec tenuem aut aspiratam recto ore profamur:
Non nisi quòd Latiâ sub voce scientia quæque
Discitur, à primis illam perquirimus annis;
Quæ minui augeríve nequit, quia mortua pridem est,
Atque recèns alias inuenit Tùscia voces.
Ergo hanc Hetrusco veniam Burenus habebit
A sermone libens, qualem Guarinus & omnes
Accipiunt, quia viuit adhuc, redditq́ Latinæ
Vsque vices linguæ. Quæ tanta audacia Vati?
Vnde hæc, post Latij strages & funera; fluxit
Verborum seges, immani si vomere belli
Euertêre Gothi campos, & Vandalus acer,
Atque nouis longè diuersa renascitur hortis
Italiæ? Vnde hæc alternis sermonibus aptos
Fabula destituit versus, Venusinus vt instat
Atque Stagiræus? Grandi quis carmine miscet
Colloquia? Vtroque heroum si facta canuntur,
Non tu permutes. Maro num vel Homerus Iambos
Promunt? Vnde gemens querulo philomela fritinnit

Murmure? Aristophanes scenâ prælusit eâdem,
Dum ranas volucresq́ suâ de voce canentes
Ostendit populo. At Græcis quàm magna potestas
Audendi fuerit, dicam; queis spiritus omni
Accentusq́ manet verbo, queis ludere cuncta, &
Lasciuire dedit Comus salibusq́ iocisq́:
Non id vbique tamen: certis est Attica dictis
Gratia; nec tales, Fabio si iudice standum est,
Vmquam dicendi Veneres Romanus haberet:
Nec quisquã est ausus quondam, cùm tantus in Vrbe
Prouentus Vatum recitaret carmina totis
Mensibus, & docto caneretur nænia vulgo:
Frontonis platani conuulsaq́ marmora clamant
Semper, & assiduo ruptæ lectore columnæ.
Adde, quòd & ranam & volucrem parcè tribus illic
Ludit Aristophanes in versibus; iste bis octo,
Bisq́ crepat senos. vtinam meliora secutus
Mandasset libris, cui grande est atque poëtæ
Ingenium! iuueni quem tu cecinisse Maroni
Vel non absimilem dicas, si paucula demas;
Vel Senecæ æqualem, tragicum si scribat Iambum,
Vt saltatores confert, vt cantica promit!

XXXV. AD

XXXV.

AD FRANCISCVM BALLATVM, IN OBITVM CELSI CITTADINI.

Rogatus à principe Academiæ Philomathûm Senis, viri doctissimi mortem lacrymatur, eiusque laudes interserit, Romæ degens, vbi eum operiebatur.



Vid ô retractas, triste dolens, meo
Impressa dudum vulnera pectori?
Raptum dolori quid redonas
Mancipium, lacrymasque cogis
Inter fluentes condere næniam,
Atque Astra diris tangere questibus?
Non sic honores nostra sacrat
Præfica Melpomene sepulchro.
Festiua molli tu melior sono,
Francisce, tendes carmina barbito,
Me dum renascens luctuoso
Funere tristitia, heu! fatigat.
Par efferendis non ego laudibus
Fundam querelas. Occidis, occidis,
Lux vna Senarum vetustæ
Gentis, & Aonidum sacerdos.

Nequic-

Nequicquam ad album te maneo Tibrim,
Et fracta letho fœdera conqueror
Amicus hoſpes, quo ſepulta
Des veteris monumenta Romæ,
Quâ parte vaſtis molibus opprimi,
Tegiq; rurſus contigit ædibus,
Quâ ſumma priſcorum regeſtis
Stant procul inferiora noſtris
Delubra templis. Occidis, heu! ſenex,
Materna Tuſci quem colit arbitrum
Loquela ſermonis; fatetur
Quem Latij columen diſerti
Romana Pallas; quem ſibi vindicat
Solers alumnum Græcia; nec minùs
Doctrina clarat, quâ beauit
Æthereus Genitor parentes
Primos, ſuperbi quamq; operis ream
Vindex ab vno gutture miſcuit,
Elata cùm fruſtrà ſupernos
Ceſsit humo Babylon triumphos.
Quid mollioris me iuuet ingenI
Referre cultus? Quid graue ſenſibus
Carmen Platonis? Quid recluſis
Dotibus omnigenæ parentis

Mentem

Mentem beatam, ſiue retexere
Doctam vetuſtas quicquid in abditis
Caliginoſa abſcondit antris,
Seu grauidam ſerie recentum
Rerum, & notandis moribus integram;
Adempta quando tot mihi munera
Vertuntur in luctus perennes,
Et miſeras cumulant querelas?
Sors ægra fauſtum deterioribus
Quid non rependit? Protinus accidunt
Vt rara nobis, ſic repentè
Se bona proripiunt: in horas
Merces laborum credita, redditur:
Coëmpta damnis gaudia nec iuuant,
Prærepta quantum nos acuto
Excruciant miſeros dolore.

XXXVI.

HOROLOGIVM PVLVEREVM.

EXiguus vitreo refluit qui carcere puluis,
Dum rapido monſtrat quo fugit hora pede,
Quàm benè mortalis metitur munera vitæ,
Noſtraq́; ſub fragili tempora mole refert!
Captiui rapimur fatis: quòd viuimus, hoc eſt
Vſque mori, & tenuis, quem capit vrna, cinis.

XXXVII. DE

XXXVII.

DE EODEM.

QVi puluis nūc, lympha fuit; quæ lympha, Lycoris.
Hæc dum quærit Hylā, tota abit in lacrymas.
Irrequieta diu, guttisq́ tepentibus æuum
Dum secat, in cineres aruit ipsa suos.
Nec mores oblita, vagos iam quærit amores,
Itq́ reditq́ viam deuia, seq́ fugit.
Heu! miseros quid tempus edax malè vertis amantes,
Si rediuiuus adhuc funere torquet amor?

XXXVIII.

FRANCISCO CENNINO CARDINALI,

Cùm Nuntius Apostolicus in Hispaniâ Cardinalis crearetur, Purpuram gratulatur, ac laudat.



VIuax Iberis dum canit vltimis
Te fama, & oras vndique peruolat,
Tuisq́ par interminatis
Pro meritis diadema nectit;
Dum voce cantus format aheneos,
Quamquam fluenti pascitur aëre,
Tollitq́ cælo mortis expers
Perpetuis monimenta gestis;

O Va-

O Vaticanis addite Patribus,
Tractant perenni qui Capitolio
Terrarum habenas Purpurati, &
Sceptra tenent propiora Cælo;
Ne sperne mollis carmina tibiæ,
Quæ plausibus miscet popularibus.
Dicam vetustâ te micantem
Progenie, Patriâque Senâ;
Dicam potentis te Themidos iubar,
Doctumq; pectus, seu variabile
Frenare vulgus, seu superbas
Eloquio reuocare mentes.
Dicam peritum Res benè publicas
Componere, & Regum placidè arduos
Nouisse sensus, atque diris
Consilio superesse fatis.
Maiora certis præmia te manent,
Restatq; forsan maxima pars tui
Edenda terris. Hac sequar te, &
Voce canam grauiore Vates.

XXXIX.

NEMESIS,

Theodorico, Gothorum Regi Ariano, cœnanti, caput piſcis, tamquam Symmachi à ſe nuper occiſi, terrorem ac mortem intulit.

QVem Geticus furor, & vecors magis implet Arius,
Cerne, epulas inter quàm malè parcus hebet!
Sanguine Christiadum madidus, ſicco ore Lyæum
Nauſeat, & ſitiens Lesbia vina fugit.
Torquetur ſecum mens ipſa; ſibi vna ſatelles,
Et reus, & pœna, & carcer, & vncus adeſt.
Dum damna inſontum ſua crimina pectore verſat,
Et dapibus curas pellere quærit iners;
Dentibus exſertis, oculiſq; minacibus, auro
Illuſus lautâ piſcis ab arte natat.
Conuiuæ riſum capiunt; Rex inde pauorem:
Symmachus, exclamat, ſtat mihi lance minax.
Terruit extincti ſpecies; vmbratilis hoſtis
Hunc iugulat, terris qui modò terror erat.
Vſque adeò & grandes animas, Regeſq; ſuperbos,
Cùm Deus eſt vindex, mortis imago necat.

XL. ITER

XL.

ITER MELITA ROMAM.

Triremibus illud Messanam ac Neapolin vsque, tum verò lecticâ actum, extemporali carmine complectitur; ac omnia quæ contigerunt, bonâ fide recenset.

SExta dies aderat, Tauri quâ terga premebat
Æthereus Titan, Melitæ cùm littora linquens,
Australesq; plagas, Arctoi sideris aurâ
Germanum vocor ad Rhenum. Felicia saxa,
Multiplici ac tuto ratibus circumdata portu,
Hortiq;, arcesq;, æternum faustumq; valete.
Vos Cruce candentes, Europæ nobile pignus,
Illustres Equites, metuendaq; pectora Marti;
Tuq; ô Lascaride senio venerande Magister,
Votorum noua quem ratio ac diploma creauit;
Tu Frater, tu care Nepos, Ciuesq;, valete.
Sic lacrymans ergo Melitæ diuellor ab oris,
Et me remorum puppis vi ducit in altum,
Quam sacra signabat diui tutela Myrensis.
Impatiens maris insomnem traducere noctem
Compellit stomachus, miseroq; regurgitat æstu.

Aurora intereà Siculas ostendit arenas,
Vnde onerant naues Cerere (has dixêre coloni
Ad Puteal) notus priscorum Caucana portus.
Turritum rado Zephyro spirante Pachynum,
Quasq; vocant nautæ claras Bindicaris vndas,
Et scopulum infami signandum nomine Longi,
Vnde Vtica immani geminas cum strage triremes
Abduxisse tumet, Melitensi ex agmine prædam;
Punica væ nimiùm populis infensa Latinis
Corda! iterùm sitiunt nostrorum in bella cruorem
Posthuma, Barbaricis Libyæ rediuiua carinis:
Vos mare, vos venti auersi, vos sidera perdant.
Casu illo extincti cædem miseratus amici
Dum socijs memoro, plenis feror æquore velis,
Atque Syracusiâ post quintam exponor in vrbe:
Relliquias tenues proh magni nominis! illic
Fons, Arethusa, tuus sordet; vix signa theatri
Exstant; sola tonat geminatis vocibus echo;
Innumeris tellus superest effossa sepulchris;
Exeso obliquè sinuatus marmore carcer,
Et lapides cæsi referunt nunc vsque tyrannos.
Hospitio excipiunt Patres, vinoq; suaui
Me recreant: magna hæc populis atq; vnica merx est.
Postera lux terras aufert: medium ipse triremis

Occu-

Occupo; nam centro minor est ex æquore motus,
Nec stomachum lædit. Portus, & mœnia paruæ
Augustæ, Megarosq; sinus spectamus, & Hyblam,
Ardentemq; Ætnam; Catinam tum, Tauromenonq;
Transimus noctu; Phœboq; oriente, furentem
Ex arcto pontum velis remisq; secamus,
Dum sociam auerso nauem molimine fluctus
Impediunt; rabieq; tuâ, Zanclæa, Charybdi,
Posthabitâ, quartâ terris allabimur horâ.
Lunata immensum circumdant cornua portum,
Marmorcis domibus Philiberto ornata Sabaudo,
Dum regeret gentes: stant summa palatia Regum;
Ænea prospectum decorant simulacra Ioannis
Austriaci: extremâ pertingit Nerea spondâ
Fons Parij lapidis: senas hîc Mello triremes
Trinacriæ Prorex, & rebus magnus agendis,
Parthenopen tendens adiungit. Mæstus amicum
Præcipiti lapsu perculsum linquo, mariq;,
Post geminum solem, rursus me trado fluenti.
Mittitur & quoniam regalem nostra Panormum,
Altera me recipit puppis, quæ nomine claret
Diuinæ Matris; sequitur Victoria cursum;
Ambæ armis validæ, remis pernicibus ambæ,
Albentesq; Cruce. Octonæ procedimus vnà,

Soluentes portu bombis, fremituq; tubarum.
Per noctem stetimus; præruptum Sole nitente
Traijcimus Scyllæ monstrum, perflantibus Austris,
Magnasq; vndanti spargentem vertice flammas
Strongilon: à dextrâ veteris nunc Gioia Metauri
Conspicienda loco, nigræq; in littore Petræ,
Nicotera, & celso sita colle Tropæa recedunt,
Hipponisq; sinus, notumq; Lametia nomen
Oenotrijs quondam, nunc claro Euphemia fano,
Et Temese & Terine terrarum motibus vrbes
Concussæ nuper. Sequitur Paulla inclyta Ciue
Adscripto superis, & terrâ Lemnide turgens.
Nauseat intereà stomachus, refugitq; soporem.
Altera lux oritur. nostro Palinurus ab ore
Et Veliæ, Pæstiq; sinus, & molle Salernum
Aufugiunt: scopulos Sirenum impunè videmus.
Me non aura leuis recreat, non læta iacentem
Scommata, quæ remex, alternaq; iurgia fingit,
Nec placidè ludens festiuo simius astu.
Hesperus adducit Capream; Dicæarchidos arcem
Nox fert, cui putei faciunt graue nomen olentes.
Septima lux Maij, dum fluctibus æstuat æquor,
Dat cymbâ tenui Baiarum tangere littus,
Et longam rhedâ celeri transmittere cryptam.

Quis

Quis vastum labor hic montem terebrasse, viamq́;
In rectum lato sculpsisse in fornice saxi!
Obscuro, mirum, nullæ sunt tramite fraudes,
Præterit & tutus quauis cum merce viator.
Antrum Relligio seruat, medioq́; MARIÆ
Excultum numen præfulget lampade paruâ.
Parthenopem nonâ ingredior; dum tota supellex
Atque vnà famuli pinu vectantur eâdem
Tibridis ad fauces: paucis comitatus in vrbe
Chalcidicâ sisto, membris vt grata vigorem
Restituat statio. nequicquam; nuntia mortem
Fama refert caræ quondam genitricis: amatos
Annis bis septem vultus spectare petentem
Mors inopina rapit: senium, prudentia, mores,
In Cælum pietas, natorum & vota tulerunt,
Marsiliæ, Senis, decus ô memorabile gentis!
Obuius huc nostri Successor venerat antè,
Quæsitor Fidei, Melitam tuto æquore tendens,
Insignis Præsul, Ciuisq́;. Huic muneris omne
Committo arcanum, ritusq́;, & iura regendi.
Non hîc Pausilypus, non ardua Mergilline,
Non cineres Vatum, Græcæ non otia gentis,
Deliciæve iuuant: prisci monimenta decoris,
Munitæq́; arces, & magna incendia montis

Frustrà me inuitant. Vna hæc satis anxia cura
Corda premit, Matrem amissam, Neritiq; negatum
Visere desponsam, & sanctæ connubia Mitræ.
Quinque dies igitur Strenum sede moratus,
Horâ digredior sextâ: lectica nepotem
Meq; vehit; subitò Auersam (maioribus olim
Atellam) notam ludis scenaq; iocisq;
Transimus, Capuamq; die inclinante subimus.
Quid non longa potest æui mutare vetustas?
Horret ager, pallent populi, vix vmbra potentis
Ac cineres Capuæ; vastæq; cadauera molis
Trunca vides. Isthæc, quæ floruit æmula Romæ,
Hannibalemq; ferum, Bacchi Venerisq; solutum
Delicijs, auroq; simul luxuq; subegit,
Nunc prostrata iacet: titulum minor altera seruat
Accola Vulturni, dimittit Phosphorus vnde,
Nec sinit eximij me Præsulis ora videre.
Prandia deinde parat vicina Taberna Suessæ
Mœnibus Auruncæ, Catanensi à Virgine dicta.
Huc sacer Orator casu delatus amicos
Currit in amplexus, alternaq; verba profamur.
Insertis teritur restans mox Appia saxis;
Minturnas, Marij latebras, & stagna Maricæ
Vidimus; & flauo taciturnum gurgite Lyrin

Non

Non ratè transimus dubiâ, sed ponte trabali
Edomitum nuper. Noctu peruenimus vrbem
Ad Mamurrarum, mutatâ voce recentes
Quam dixêre Molam; cui contrà Æneïa nutrix
Caietam statuit portu, celsaq́; superbam
Rupe. Hîc Pontificis vexatas fortè triremes
Tempestate maris, Superûm vi dicitur vsque
Seruatas; nudi pedibus, lacrymisq́; precantes
Certatim nautæ subeunt & templa viator.
Manè hinc ad Fundos decliues labimur, AppI
Semita quò ducit. Colles stant vndique circum;
Aura tepens hortos, & citria poma per annum
Educat: at campum casuraq́; tecta colonus
Rarus habet; vigili seruatur milite porta,
Durus vbi exactor vectigal pendere cogit;
Aurum nec patitur nec mercem sedulus vltrà
Efferri, redimat ni multa pecunia fraudem.
Lecticam sextâ petimus, nemorumq́; per vmbras
Perq́; maris littus nonâ deuenimus Anxur.
Sublimi antiquum saxo supereminet Anxur,
Ad læuam spectat Circæi culmina montis,
Et refrago expellit spumantem Nerea dorso;
Nunc Terracina est nomen: plebeïa tecta
Lustramus, veteresq́; ædes, rarumq́; popellum,

Ac nimiùm tragici quondam monimenta theatri.
Inde ſuburbano tecto nos caupo malignus
Detinet, exiguas epulas vinumq́, miniſtrans.
Surgimus, & Volſcâ prognatam gente Camillam
Porticibus pictam Priuerni inſpeximus; illinc
Sanguine Romulidum clarus diſceſſerat ante
Pene horam Præſes; ſcriptis huic mitto ſalutem,
Fortunam damnans, vetuit quando ora tueri.
Vndecimâ attigimus riuum, quem ſæpè viator
Serus init lembo gracili: propè commoda ſomnum
Præbent tecta, Nouas Ædes dixêre coloni.
Hinc matutino abſceſſu lentè imus ad vſque
Occluſam portam, pretio conuitia miſcens
Quā reſerat querulus, quicumq; huc tranſeat hoſpes:
Et Sermonetæ ſummo ſurgentia cliuo
Mœnia cernentes, paruo emptis veſcimur eſcis
Ima taberna tuis. Celeri lectica Velitras
Ad decimam paſſu rapit; has Octauia proles
Olim, Cardinei decorat nunc Purpura honoris.
Eminet vrbs campis; vrbi Prætoria celſa
Stant ſuper, atque foro grandis præfulget imago
Ænea Pontificis, referunt & carmina laudes
Magne VRBANE *tuas: ad læuam luce ſequente*
Cernimus vmbroſi ſpecioſa palatia Caſtri

Gan-

Gandulphi; domus ô Charitum, sacra otia Musis,
Rus BARBERINVM, *siluisq́; virentia paruis*
Stagna lacus puri: post quartam mensa Marini
Detinet, & volitans lusum dat mitis hirundo.
Ductus aquæ quondam, factum cui Tepula nomen,
Grande opus, & multis assurgens arcubus altè,
Dirigit ad Romæ portam nos vsque Latinam.
Hîc sacer Astrææ Præsul currente quadrigâ
Obuius excipiens, caris stipatus amicis,
Hospitium donat Clemens, geminatq́; fauorem.

XLI.

ITER FERRARIA COLONIAM.

Quà terrâ istud, quà fluminibus Mœno Rhenoque actum anno CIↃ. IↃC. XXXIX. prosequitur; notatu digna, quæ viderit, recensens.

QVi Prolegati iam dudum munere functus,
Exacto felix tecum Ferraria lustro,
Tantumdem Melitæ Fidei Quæsitor obiui;
Ecce iterùm tua tecta libens, atque arua reuiso,
Dum celer ad Rheni regiones Nuntius, æstus
In medios propero, magni quò iussa sequentem
VRBANI *impellunt. Quartam præbebat Iülus*

Lucem, cùm Eridanum tranſgreſſus ponte abiegnis
Nauibus impoſito, medio quem flumine, longo
Deuinctum fune, ac verſo temone fluentem
Obſcuri dixêre Lacus: per plana profectus
Bentiuoli ſiccata manu, cedentibus vndis
Imperio Cereris, Trecentæ ad prandia veni.
Hîc nos ad dextram tranſmittit Tartarus oram
Innocuus; comitemq; ſuo dat ſe aggere plenus
Proximus illi Atheſis: Lignani Sole cadente
Mœnia contigimus: rigidus verùm inde repellit
Occluſæ cuſtos arcis, noctiſq; per vmbram
Cogit ad Anghiari infelix diuertere tectum;
Hîc vbi ſicca fames laſsis ſomnum artubus arcet.
Poſtera lux oritur; non mundo nomine dicta
Inſula, tum recreat dapibus, patriamq; Catulli
Oſtentat celebrem: planis interluit illam
Cœnomanûm campis Atheſis, cliuoq; tumeſcit
Vrbs, cultu hortorum, ac veteri ſpectanda theatro:
Diues opum, populoq; frequens, domibuſq; ſuperba,
Scaligerûm quondã, Venetûm nunc ſceptra veretur.
Amiſſo hîc famulo, quem labes Græca notabat,
Digredimur ſextâ: triuijs, miſerabile viſu,
Obuia ab arboribus ſuſpenſa cadauera ſontum
Cernimus: intereà læuâ delabitur amnis

Impi-

Impiger, anguſtâque vtrimque à valle receptus
Præruptæ rupis, Cluſam dixêre coloni;
Miles vbi exiguum callem cuſtodit in arcto,
Lecticamq́; humeris trânsfert. Peruenimus inde
Dulceuum, Venetæ pagum ditionis, ad horam
Vndecimam; & manè ad quartam nos detinet Alla
Hoſpitibus gratis: prima hîc hypocauſta videri
Hyberna incipiunt. Germani Principis vrbe
Conſtitimus noctu, Robur cui nomina fecit.
Euganeis quondam regio populata recedit,
Quà læuâ exoriens diffundit lumina Titan.
Sancto Concilio Patrum laudata Tridenti
Templa diem, & dulci nos Præſulis ora morantur
Alloquio: æſtiuum nocturnus mitigat imber
Phœbum, & perniciem damnoſi pulueris arcet.
Ad Lauis pontem placido ſermone benignus
Deducit ciuis; reficit mox menſa Salurni,
Auraq́;, quæ nimbos vdoq́; tonitrua cælo
Euocat, & madidos vicinam pellit ad Egnam.
Frigida Balzanum cœnoſaq́; ſemita ducit,
Emporium felix, ac multis mercibus aptum,
Germanis Italiſq́; alterna negotia miſcet.
Liquimus hîc Atheſin pranſi, Vallemq́; Venuſtam;
Tirolis hinc arcem læuâ; dextrâque ſonantes

Excipi-

Excipimus ſtrepitus Atagis per confraga ſaxa
Præcipitis; noctu feſſis exile paratur
Hoſpitium Colmar. Comitem tum feruida febris
Occupat; & famuli incerto veſtigia greſſu
Obliquant, Baccho madidi; per compita aberrans
Ebrius hîc Solis medio euaneſcit in æſtu
Æthiope amiſſo, ad noctem comparuit ille:
Poſt ortum lucis lecticâ conſidet æger.
Ipſe equitans, Rhætis exculta ferocibus arua,
Et Brixinenſem Zephyris vernantibus vrbem
Deuenio: vino puras hæc addidit vndas,
Frigore quæ certant niuibus per proxima montis
Culmina conſperſis: gelidis nos excipit vndis
Exiguus Mols vicus, vbi tranſacta quiete
Nox eſt: Sterzingam aſcendo, celebrata fodinis
Argenti loca; Phœboq; exoriente niuoſum
Ad Pyrenæum, per celſa cacumina, Preiner
Quem vocitant montẽ, Arctoas reuolutus ad Alpes,
Dimiſſoq; Atagi, (Aiſacum dixêre recentes,)
Steinachium verſus decliues labor in oras.
Extremâ medio deſcenſu carmina ſpondâ
Æri inciſa locum ſignant, vbi Carolus Orbe
Heſperio rediens Cæſar, venientis ab Oeno
Fernandi Auſtriaci amplexus, fraternaq; amoris
Exce-

Excepit signa. Hinc præbet Greis prandia, serra
Quà fluidis agitata trabes intersecat vndis.
Matra rigens cœnam ponit; Matreio Latinis
Scribitur: hinc illinc riuis labentibus, Oeni
Venimus ad Pontem, Insprukum Germania dicit.
Hanc Tusca Austriaci moderatur Principis vrbem
Iamdudum coniux, sceptrum cessuraq; natis
Insignis pietate præit, cunctisq; verenda.
Ad tres hîc subsisto dies, exceptus honore:
Delicias Ambræ, arma Ducum, simulacraq; Regum
Ænea sacratas laudo disposta per Ædes,
Relliquias Diuûm, gemmis auroq; nitentes,
Templaq; magnifico Patrum surgentia sumptu.
Hîc pluuia assiduè, nebulæq;, niuesq; perennant;
Atque ideò hybernas æstiuo frigore vestes
Indutus, propero Sehefeldt, miracula templum
Seruat vbi, sacram Cererem, cautisq; recessum:
Nobilis ancipiti quondam cùm mente superbit,
Et maiora petit non flexo poplite liba
More Sacerdotum, vix aræ accessit, & ipsa
Cæpit dura silex pedibus calcata prophanis
Hiscere: stant saxo caua adhuc vestigia crurum
Impressa, ac dextræ sanctis quam admouerat aris.
Tum Mittenvvaldi, quondam cui Scarbia nomen,

Hespe-

Hesperias in aquas prono iam Sole quiesco.
Hinc lacus aspicitur tremulis spatiosus in vndis,
Quem circum colles siluæq; vmbræq; coronant.
Pransus ibi, valles & iam pertæsus iniquas,
Montesq;, in planas camporum transferor oras,
Stagnaq;: dant somnum Patribus vicina beatis
Hospitia, vt nomen seruant. Lux postera, VVolfers-
Hausen tecta aperit, quondam statione peractâ
Victrici hostilis flammâ combusta Suëci;
Prataq;, & excultos campos, Phœboq; tepentes
Auras, Munachiumq;; senex quâ regnat in vrbe
Dux, clarus pietate, armis, atque arte regendi,
Quamq; Isarus lambit, Boijs Isarisca vetustis.
Hîc ego, priuatus visens delubra viasq;,
Agnitus excipior curru, sonituq; tubarum,
Inq; Palatinas deducor comiter ædes.
Innumeras ædes connectunt atria circum
Grandia; porticibus longis circumdatur hortus;
Fontibus exiliunt vndæ; monimenta decorem
Augent, seu varij lapidis, seu fusa metallo:
Multiplici splendent auro laquearia picta,
Cælatas valuas pretiosa aut marmora cingunt,
Aut plastes varijs illudens artibus ornat:
Codicibus cultis hinc Bibliotheca renidet;

Hinc

Hinc veterum effigies magnâ ſpectantur in Aulâ;
Turmaq́; nobilium ſtabulo ſeruatur equorum;
Regia, Cæſareo hoſpitio deuota, niteſcit
Haud minor æthereâ Solis, quam carmina fingunt.
Impia Suecorum flexerunt lumina Regis
Deliciæ; obſtupuit viſis, flammiſq́; pepercit.
Omnia miratus regali condita luxu,
Aßiduis quamquam pluuijs cœnoq́; refertas,
Erro vias, Pruchamq́; peto quà labitur Ambra.
Intereà Bauarus tranſmittit munera Princeps.
Digredimur pranſi octauâ, paruoq́; cubili
Dat tenuem victum Fegerbach ruſticus hoſpes.
Imbre madens exin Fridbergæ incendia cerno,
Ad dexteram rurſus ſurgentis, barbara poſtquam
Agmina ceſſerunt: ad quintam me tenet, amne
Vallata ac muris, Auguſti nomine diues
Vindelica, vrbs quondam multis exculta colonis.
Hîc Lycus hîc Vindo fluuij ſociantur; & altas
Scandit lympha ædes, arctis ſiphonibus acta
Ingenio gentis; proprio mox pondere multis
Fontibus effundit ſeſe, rurſuſq́; per auras
Sponte ſuâ leuior reſilit, luditq́; cadendo
Per medias æris ſtatuas: hîc machina portas
Dum reſerat coram hoſpitibus, pòſt claudit eaſdem:
Dædalea

Dædaleæ arcanis pulſantur motibus horæ,
Æmula naturæ aſtrorum ingenioſa volatus
Sphæra refert, Soliſq; vias, Lunæq; labores,
Exiguis ſimulans immenſos orbibus orbes.
Bellica ſat multis hoplotheca refulget ab armis.
Hîc artes cultuſq; vigent; hîc Curia ſplendet,
Templaq; : ſed miſeram vexat nunc hæreſis vrbem.
Raini ad caſtra ducem VVeimari funere merſum
Fama refert, paßimq; hoſtes ſub ſigna venire
Cæſaris. Hîc lucem ingratam mihi tædia & imbres
Efficiunt, magno caupo quam vendidit auro.
Afferimus VVeſtendorfi, queis veſcimur, eſcas,
Et Donavverdæ decimâ conſiſtimus horâ:
Inſula Danubij Germanis voce Latinâ
Vertitur; vrbs Bauaro conceſſa, binominis Iſtri
Incumbit ripæ, tenues quà VVernius vndas
Admiſcet, dudum crudelis præda Sueci,
Bellorum flammis oſtentans diruta tecta.
Sol ſimul illuxit cælo, nos clauſtra ſubimus
Grandia Kaiſaimi, deſolatoſq; iacentis
Puechdorfi colles, Monhaimq; ex hoſte pauentem:
Namq; vbi viderunt venientes, arua fugaci
Corripuêre pede agricolæ, iumenta trahentes
Ad caſtrum: patuit iuxtà accedentibus error,
Excußiq;

Excußiq́; metus. dapibus tum veſcimur: omen
Infauſtum fingens, ſextam quòd ſoluerat ante,
Subuertit currum demens auriga; cadentum
Alter crura dolet, caput alter; hic ora latuſq́;.
Dextera VViltzburgi eminet arx inuicta Sueco:
Dant VVeiſſenburgi defeßis mœnia ſomnum
Rednitzi ad riuum, hæretico dominata furore
Imperij tellus. Prædonum hîc agmina fertur
Inſultare vijs, ſpolijſq́; inhiare per vmbras
Siluarum; atque ideò pretio conducere iniquo
Cogimur armatas ac[illegible], ipſumq́; timendum
Tutamen. Bello ſemiuſtam Teutonis vrbem
Militis Oellingam, & Pleinfeldt lux poſtera monſtrat
Per dubios colles. Rotti tum caupo malignus
Detinet, extorquens mentitis artibus aurum;
Et Norimbergam, hinc tempeſtas orta, latronum
Inde timor, propero cogunt contendere curſu.
Hercyniâ in mediâ ſtruxit gens Norica tutum
Hanc munimentum, campos populantibus Hunnis:
Aſſurgit placidè cliuo, circumdata muro
Vrbs gemino, centrum Germanis; diuidit vndis
Pegneſus; veteri miles ſupereminet arce,
Quam circum turres & propugnacula cingunt:
Artificum ingenio pollens, populoq́; frequenti;

Lata vias, plateas, immensa palatia, templa,
Fontesq; ostentat; cæco sed lumine, falsa
Relligione tumens, Erebo sua funera debet.
Nuntius, hostiles prædatum hîc serpere turmas,
Bambergam versus merces, armentaq; equorum
Fert lacrymans; equites ideò, cedente Senatu,
Et tubicen sumpti comites: at inhospita tecta
Nox dedit Ermstkirchen, paleæ quoque molle cubile.
Arma manu socij disponunt prompta, suasq;
Excubias: nebulâ septi discedimus inde
Neustadium, miseri plorantem incendia Martis,
Desertasq; plagas; Langenfelti arua, Pibrachi,
Maternæq; Ceres complet; paruisq; Lyæus
Vitibus exornat, Mœnus quà interluit amnis
Kitzingam. Vpilio Pipini hanc condidit vrbem,
Vt perhibent Franci; templum claustrumq; beata
Filia Adelheidis. noctem hîc producere somno,
Et siccare iuuat vestem vnumquemque, madentem
Imbribus. Herbipolin melior via, & algida vento,
(VVirzburgum vulgò) post quartam præbuit horam.
Hîc placido Francis sceptro dux imperat, idem
Et Pastor, diues populis auroq;, priusquam
Barbara Gustaui spoliarent arma tyranni.
Lux erat IgnatI Loiolæ debita sacris

Perui-

Peruigil; huc ſerâ pertractus nocte quieui:
Præuenit obſequio Princeps, vnaq; ſacello
Aßidet, ac menſæ Patrum; tum comiter ædes
In proprias ducit, multumq; impertit honorem.
Hîc luſtrare datur miſeri veſtigia belli,
Arcem expugnatam, truncato marmore pontem,
Deiectaſq; domos, ſpoliataq; templa profanis
Vſibus addicta: antiquo ſed cuncta decori
Reſtituit Princeps; ſtudijs Collegia ſacris
Inſtructa, innumeros olim ſeruantia ephebos,
Et depellendis exin tecta hoſpita morbis
Commoda, perfugium miſeris, prædiuite cenſu
Fundata inſpicimus, cultuq; virentia latè
Hortorum. Auguſto intereà reddente Kalendas,
Permutatur iter: comitum pars altera cymbæ
Sarcinaq; immiſſa, obliquè quà circuit agros
Mœnus; nos ſequimur recto quo tramite rheda
Principis aduectat. Triſenſtein Heſperus omnes
Iungit, vbi diuo Auguſtino addicta caterua
Officioſa dapes vbertim ac vina miniſtrat.
Soluimus inde ratem remis, curſuq; ſecundo:
Paucula ſufficiunt victum ientacula, lembo
Aduecta, atque ſitim compeſcit frigida, caſtrum
Quam dat VVerthaimi, Comitis prænobilis ædes:

Arces intereà conſcendit nauita, Croſmel,
Et Rotenfelſum, merces vectoſq; recenſens.
Appulimus noctu Freidenbergam, imbre cadente;
Sed Miltenburgum, & felicia ſaxa Lyæo
Klingenberga tuo, & Verdam lux poſtera nobis
Pandit & Obrenburg. Cinerum tum vidimus vrbem
Aſchaffenburgum; iuxtaq; palatia celſa,
Magnorum Regum veteres æquantia moles.
Turribus aſſurgunt cælo quadrata rotundis
Tecta, Moguntiaco constructa à Principe nuper.
Addimus hîc ſocium Franciſci ex Ordine diui;
Tarda ratis pluuijs exponit nocte Selingſtat,
Quam Selgenſtadium Salijs auctoribus olim
Indigenæ poſitam iactant; nunc Martia cædis
Damna gemit: tenuis reficit nos menſa tabernæ,
Et cellam diues Benedicti commodat ædes.
Exoriens Titan ſuaſit propellere lintrem:
Steinheimium læuam, ſed dextram Hannouia ripam
Occupat, exiguis iuxta quam confluit vndis
Kuntzichus, gemini cinctam munimine valli,
Aggeribuſq; nouis: præreptam milite Adolphus
Munijt hanc Suecus, Martis certamine victor;
Sed recipit Cæſar: ſua nauta hîc nomina pandit
Imperio promptus; petit inde vmbracula, Mæno

Quà

Quà salices altæ sinuoso in margine præstant.
A quintâ hîc bibimus; sensimq́; accedimus vda
Mœnia Francfurti. Vrbis propugnacula cespes
Aggerat, & vasto surgunt molimine turres.
Nomen Francorum traiectum signat, & illi
Pons Saxenhusam iungit, quam Saxonis ædes
Appellare licet: confertis accola diues
Mercibus exultans, auro ferroq́; superbit.
Libera gens gaudet sacro diademate crines
Cingere Cæsaribus; misero sed corde rebellans,
Thura Deo Superisq́; negat, cultumq́; vetustum.
Rident hîc pueri Æthiopem, saxisq́; repellunt
Ad lintrem. Abscedo, veterem complexus amicum,
Oppidulumq́; peto modicum miserabilis Hoestæ,
Ignibus absumptæ magnâ cum Principis aulâ,
Nubila lux sequitur, Kelsterbach, indeq́; Vlersheim,
Russelsheimq́;, nouo & Gustaui nomine monstrans
Munitas arces. Medium orbis Sole tenente
Ingredimur Rhenum; læuaq́; Moguntia ripâ
Emicat, Augusti priuigno condita Druso.
Imperij vacuos fasces & iura sacratus
Dirigit hîc Princeps, & magni vota Senatus,
Quo legitur Regum supremus in Orbe futurus.
Templa nitent, amplæ visuntur Præsulis ædes;

Rara vias calcat latas, & rara Lyceum
Turba colit; Sueci restant incendia Martis:
Sublimis magnæ collis supereminet vrbi;
Ostentatq; locum, qui dicitur Aureus Aër,
Mollis vbi Zephyri iucunda salubribus auris
Furstenbergiacæ surgunt pallatia gentis.
Hanc duo collustrant inuentis sæcula miris,
Musarum genio decus immortale, dedisse
Centenos celeri libros excudere prælo,
Non tardâ scripsisse manu: stat plumbea quæque
Littera lamellæ sculpta, at quæ iungitur aptè
In verba & versus, atroq; attacta colore,
Imposito premitur folio, rursusq; solutæ
Litterulæ, coëunt rursus, varioq; tenore
Mox repetunt opus, atq; immensa volumina præstãt.
Altera laus Martis, quòd ahenea fulminet hostem
Machina, dum rapidis impletam glandibus aluum
Laxat, & armatos lethali sulphure nimbos
Ignis agit, cælumq; nouo fremit omne tumultu.
Excipit hîc ergo Princeps, & fronte serenâ
Detinet in noctem; tum nauis grandior, atque
Remigio pollens, aduerso flamine quamquam,
Nos capit, atque Elfelt, Erbach, Gysena, Rodesheim
Traijcit, & Bingæ sua vectigalia soluit;

Auso-

Ausonio ad Nauam Gallo memorata fluentem
Vrbs: quondam magni fatalis funere Drusi.
Hinc læuâ euitans scopulos in parte latentes,
Quà laterum obiectu montis se valle recondit
Rhenus, & ambabus lasciuit pampinus oris,
Ernfelt inspicio, & muris de nomine turrim
Mausturnum: effugium medijs erexerat vndis
Namq́; Palatinus; medijs & rursus in vndis
Expellunt dominum [illegible]s, vt fabula fertur
Indigenas inter: ridens præteruehor Aschpers,
Dreckhusam & Lorich, & Deibach posteà, &
Ambrach;
Dura quidem versu, sed talia nomina remex
Pagorum expreßit. Bachrach tum vidimus, vrbem
Sacratam Baccho; huic inter vineta dicarant
Aram Germani, medioq́; in flumine turrim
Pfaltz, Cubum, & VVesel, (priscis Vesalia quondam
Mænia, Mammeæ Augustæ celebrata sepulchro)
Rornich, & Sancti bina oppida vtrimque Goari,
Gurgite quo ratibus sat certa pericula subsunt.
VVelmenach, VVerlen, Dalheim, Kaesterna, Borouen,
Saltzich, atque Astmen noctu, Campisq́; tabernas
Transuecti, ac VViltzen, Boppartū appellimus (olim
Baudobrigam) dulcis fudit quæ pocula Bacchi.

Digredimur, nebulas Phœbo adducente, & Orestein,
Et Braubach, & Pedernach dum nubila celant,
Atque Reens, Laensteinq́, aurum cui nauita pendit:
Præsulis insignem quartâ Treuirensis ad vrbem
Venimus, ingenti edomitus cui ponte Mosella
Nominis est auctor, Rheni quia confluit vndis.
Aduerso de monte nitet fortissima dorso
Rupis inaccessæ gemino Hermensteina fluento,
Et populis tutela suis: arx [illegible] sub ictu
Regia tutatur tecta, ac diuerberat hostem:
Hæc tamen infensi metuens à milite Adolphi,
Sponte suâ Gallos excepit; at inde recepta
Cæsareis Aquilis paret nunc. Humida nimbos
Quamquam nox aperit, post primam exsoluimus, alta
Pondera vbi erecto demittit trochlea ligno,
Attollitq́, agili & conuertit machina gyro;
Alluit hinc Engers flumen, si quando tumescit,
Atque Andernacum; positis à Cæsare castris
Olim Antunnacum veterum monimenta vocarunt.
Hinc Suecos nuper deiectos mœnibus altis,
Seruatamq́, vrbem referunt, aluearia in hostem
Fœmineâ iaciente manu, Martemq́, fugante
Armatis apibus: tantum sperare salutis
VRBANAS *per apes valuit Germania victrix.*

Hic

Hîc acidas vino miſcent ad fercula lymphas,
Delicium gratum, & iecori medicabile munus.
Tum Ludſtorff, Briſich, Amſtē, Lintz præterit amnis,
De more accedens ſoluit queis nauita cenſum.
Obuia fit Creamau, Terrisbrind, atque Patercal,
Et plures fluido naſcentes inſulæ in alueo.
Pagi, rura, vrbes, & acutâ cuſpide fana
Turrita, vndoſo lateri, ceu ſcena theatro,
Stant ſuper, ac varijs eludunt pegmata viſis.
Excepit pluuijs Vbiorum Bonna madentes;
Ara diu celebris; Cattis hanc namq; ſubactis
Auſpicijs, Agrippa, tuis, gens condidit olim
Auguſto, Rhenum tuto traducta receſſu.
Officioſa pij me inuitat Principis Aula;
Atque ipſe adueniens, poſtquam venatibus agro
Indultum ſatis, ingenti dignatur honore,
Ac nauem munit magnâ ſtipante cateruâ
Militis. Ad decimam ſpectare Colonia muros
Agrippina tuos licuit, longiq; laboris
Atque viæ tandem, chartæq; imponere finem.

XLII.

AD LVDOVICVM CARD. LVDOVISIVM, AC VENVSII PRINCIPEM, FRATRES.

In gratiam F. Cæleſtini Bruni Auguſtiniani, cùm eis ille dedicaret librum de Vſuris; cuius fronti gentilitia eorumdem Inſignia præpoſuerat.



Rontem, ô, perpetuis exſere honoribus,
Regaliq́, Liber, ſtemmate nobilem,
Quâ diſcriminat aurum
Orbem purpureum triplex;
Quâ ſedes placidè ſidereas fera
Stat Getula petens; quâ niueis rubent
Æternumq́ perennant
Circum lilia collibus.
Proles nobilium magna Parentium
Heroes gemini, quos tulit Italus
Leni gurgite Rhenus,
Te clarum titulis notant.
Sacrato aduigilans hic Capitolio,
Sancti dicta Senis prouidus exſequi,
Longam ætate virenti
Mentis canitiem tegit.

Culta

Culta illum thalamis iungit Apulia,
Illibata ferens lilia, ſedulò
Non direpta leoni,
Dum furta excubitor timet.
Huius ſi facilis te ſinus excipit,
Ornatus volites vndique floribus,
Cunctis gratior oris
Ibis ſplendidiùs nitens.
Nec furum timeas ſacrilegas manus,
Latratúſve canum, dentibus inuidis:
Toruo nam fera viſu
Omni te expediet metu.
Ille at, mens Procerum viuida Curiæ,
Augebit pretium muneris, aureo
Si commiſſa libello
Index ingenij probet.
Prodi, docte Liber, præſidium & decus
Nactus par meritis; inſtrue, collybo
Vti, nomine ficto,
Verâ quâ liceat fide.
Auctori intereà, dum Sapientiæ
Terris donat opes, redde, nitoribus
Frontem ornate ſuperbis,
Grandi fœnore gloriam.

XLIII. DE

XLIII.

DE SALVATORIS DEI PASSIONE MEDITATIO.

ECCE HOMO.

ECCE HOMO, *atque idem Deus. Heu! priori*
Impiĳ quantum ſceleris miniſtra
Turba fecit diſsimilem! Vides, vt
Sanguinis imber
Proluit vultum? Manibus paluſtris
Excipit ſceptrum calami, labantis
Qui graues mundi reparat cruentâ
Morte ruinas.
Igneos vibrant oculi nitores:
Manat & flumen lacrymis, vt inter
Aurifer gemmas rutilans & vndas
Fertur Hydaſpes.
Glauca tu felix fluuiale arundo
Liqueris ſtagnum, ſubitura maius,
Hîc vbi vndanti benè purpuraſcis
Tincta cruore.
Heu! ſed iſthæc quàm leuis eſt arundo,
Nec ſubit pontum reflui doloris!
Cernis vt ſacrum ſitiens honorem
Spinea circum

Tempo-

Temporum crines bibit, heu, Corona?
Seu natat, seu mergitur, inque acutis
Vt rosæ spinis mediæ, salubrem
Gignit odorem.
Hunc dolor Regem facit: in Coronâ
Ipse tormentum dedit: inque sceptro
Ipse contemptum; rutiloque demum
Dedecus ostro.

XLIV.

DE EIVSDEM PASSIONE.

HORTVS GETHSEMANI.

EHeu! dolorem quæ lacrymæ queant,
Aut lingua dirum carmine flebili
Explere funus? Ipse primi
Impia fata luit Parentis,
Natus, superni progenies Dei:
Hortusque florum pictus honoribus,
Diræ voluptatis palæstra,
Excipit innocui dolores
Primos IESV. *Hîc trepidam sibi*
Inuitat inter blanditias necem
Seruator orbis; tum timentem
Obuius ad faciles agelli

Accerſit auras. Hîc fera pectore
Dum verſat imo funera, mergitur
Mortis ſub vmbrâ, & ſanguis vndans
Irriguo rigat ora curſu.
Efflaſſet illic quidni animam Deus?
Sed molle duxit florea per loca
Priuatus, aut ſolus mori, qui
Per fora, per populos, & vrbem,
Totuſq́ ſpinis obſitus horridis,
Vnoq́ circum vulnere purpurans,
Regnum dolorum tam probroſæ
Supplicium crucis expetebat.
Sed iam propinquant & ſcelera & faces,
Et ſæuus, hoſtes qui incitat ad nefas,
Hortator. Heu! tædet referre,
Et fugit hæc ceciniſſe Carmen.

XLV.

ORATIO,

QVA PETIT AVXILIVM A DEO.

A*Vdio diuinum reſonans in pectore carmen:*
Qui ſequitur me, nō ambulat in tenebris.
Fac mihi te comitem, præfer tua lumina IESV:
Cernere, ſiue ſequi te, ſine te, nequeo.

XLVI. P. CA-

XLVI.

P. CAROLO AB ARENBERG CAPVCINO.

Post longos acresque dolores, lecto affixus, cùm respiraret aliquantulùm, optimum Religiosum ad se consolandum inuitat.

Carole, terreni contemptor prouide fastus,
Principibus proauis maior, qui claustra superbis
Ædibus atque auro præfers; solare dolentem
Alloquio precor, & mæstum virtute serena,
Quâ superos flectis. Iamiam cessêre seuera
Verbera tortorum, stomachi seu crudior æstus,
Seu colon, seu nephritis me fortè flagellant;
Lis incerta diu docto sub iudice pendet.
Intereà misero mihi certum constat, acutè
Viscera torquentur; metam cruciatibus hora
Quarta tulit nuper; dant nulla negotia curas,
Aula vacat, fesso superest in corpore languor,
Debilis & lectum seruo; sed viuida mens est,
Et non inuito voces inflectere versu
Me patitur tecum: neque enim terrena fatigant
Vsque adeò cælestem animum, quin sponte resurgat,

Seq;

Seq́ʒ libens damnet, tenui quòd pondere morbi
Iam propè ſuccumbens, gemitus angoribus inter-
Miſceret dudum. Cælum cur voce laceßis?
Nónne manus Domini tetigit te? Parce querelis;
Quin potiùs grates reddas, vitæq́ʒ peractæ
Crimina perfundas lacrymis; atque ipſa dolorum
Creſcat dura ſeges, tibi dum patientia creſcat.
Quæ manus è nihilo nuper te Dia creauit,
Omnipotens manus, attactu dignata benigno eſt
Mortales artus, vt amico vulnera ſanet.
Eia age, rumpe moras, crebris te angoribus offer:
Sic placitum Superis. Hæc parua piacula culpas
Diluere ingentes, deuotaq́ʒ manibus antra
Sontibus, vltriceſq́ʒ valent præuertere flammas.
Hæc meus è nitidis repetit Saleſius aſtris,
Quæ quondam ex cathedrâ mellitâ voce tonabat:
Hæc eadem, grato mihi te dictante magiſtro,
Percipiam: tu me ſtimulis melioribus vltrò
Impelles; tua me magis hæc exempla mouebunt:
Te præeunte ſequar. Seu te diuina moratur
Pagina; ſeu doctis miranda volumina ſæclis
Conſcripſiſſe iuuat; calamum depone parumper,
Et curâ leuiore animum laxare memento.

XLVII. DE

XLVII.

DE IOANNE LATOMO,
QVI EPIGRAMMATA INSCRIPSIT
TVMVLIS AD IOVII ELOGIA.

SPiritus omnis abeſt, nec habent Epigrammata ſuccum;
Hoc tamen iſta virûm carmine buſta nitent.
Prudens eſt Latomus: tumulis non carmina ponit;
Sed parat ipſe ſuis carminibus tumulos.

XLVIII.

DE EODEM.

QVòd niteas, non ipſe ſtylo, non candidus ore,
Nec tua tantillum carmina pondus habent.
Quòd tumulas Vates, hoc verè eſt condere in vmbris,
Vt leuis (haud cineres) carmina terra premat.

XLIX.

DE EODEM.

VIle facit carmen Latomus: dat manibus illud
Munus, quod viuis vendere non potuit.

L.

DE EODEM.

DVm Vates tumulat Latomus, non illa Poëtam,
Sed pollinctorem carmina fœda notant.

LI.

AD ANDREAM ALCIATVM.

DVm Tacitum damnas, laudas Iouium; æquus vtrique
Donas illâ, quibus pauper vterque caret.

LII.

DE SACELLO GVIDONIS NOLPHII FANENSIS.

In gratiam Dñi Iosephi Constantij, Canonici Regularis sancti Saluatoris.



Iuem clara tuum suspice Iulia
Vrbs, ô quæ Adriaci littora Nereos
Seruas, atque Metaurum,
Pœno sanguine nobilem.

Ne frustrà veterem concine gloriam,
Nen votiua deæ fana volubilis;
Maior vel manet vno
Laus te ciue beatior.

Sunt, qui perpetuo tempora nomine
Euicisse putant, lata decempedis
Queis metata renident
Multi marmoris atria.

Non

Non hunc luxus habet, non domus aurea;
Non aulæa nitent, Attalicus labor;
Non innixa columnis
Ingens porticus Africis.
Stat, delubra Deo molibus arduis
Regaliq; manu ornare, Quiritibus
Quà sublime Sacellum
Inscriptum Superis manet.
Amphion patriæ mœnia cantibus
Struxisse Ogygiæ fertur, vt addito
Sensu ad iussa veniret
Cautes, accola montium.
Non hîc vana fides. Hi citharas vocant,
Et plectrum lapides, æmula Cælitum vt
Reddant carmina Vates,
Et gratum resonet melos:
Hi flammas gelidis mentibus ingerunt,
Vt sacris superent æthera amoribus,
Ceu collisa fauillas
Ictu dat chalybis silex:
Hi percussi oculis, vi tacitâ sinus
Irrumpunt penitos, igniculos creant,
Extinctisq; redonant
Sensus pectoribus pios.

Nec mirum; Pietas namque operi manus
Admouit teneras; ſaxaq́ ſedibus
Hinc Eoa relictis
Geſtant artificis notam:
Hinc ſpirat Pietas viuida marmori,
Aurumq́, & tabulæ, & ſigna decentia:
Hac ſe prouidus vrbi
Cerni donat imagine,
Felix ad Superos dum properat ſenex:
Multò nobilius cui tamen intimo
Templum corde reponit
Candens Relligio, & Fides.



LIII. P. BE-

LIII.

P. BENEDICTO LEODIENSI CAPVCINO.

Miserat is Auctori piam imaginem, Kalend. Augusti, & carmen in eius laudem ac gentilitium Insigne. Reponit Auctor imaginem tesseræ, quam sibi eo anno CIↃ. IↃC. XLIII. conformauerat; quâ, à sæcularibus abstrahi se quotidie magis velle, profitetur.

STemmata Maiorum, clypeiq; Insigne paterni,
Vos quernæ frondes, montes, & sidera, abite.
Non ego gentiles ceras, non somnia, & vmbras,
Vltrà sectabor. Cordis penetralia IESVS,
Sat mihi, si teneat, qualem designat imago
De Cruce pendentem. O vtinam, mea vera voluptas,
Perpetuò tecum viuam! Sic vincere sensum,
Et vitium, tua palma dabit: sic pinguis oliua
Lætitiam pacemq; feret: sic grata corona,
Pro te posse pati: tua sic vexilla sequentem
Excipies cælo tandem, dulcissime IESV.
Cetera quid quæram, quando fers omnia tecum,
Et sine te nihil? Ergo, Deus meus, omnia solus
Sis mihi; seu vitam placeat producere, mortem
Seu properare magis, fiat tua sola voluntas.

Hæc, venerande Pater, meditantem fortè Kalendis
Augusti, atque noui implorantem Cælitis vnà
Præsidium, tua me deprendunt munera, Carmen
Atque icon picta egregiè. Modò reddere grates
Optarem, æquales meritis: sed nulla potestas
Par mihi, ni puro maneas contentus amore,
Dum paruâ mecum defigis imagine vultum.

LIV.

LEONIS VICTOR LEPVS.

Roma ab Arnulpho Germaniæ Rege per occasionem leporis capta; quæ vrbs Leonina dicebatur.

GErmanus Latias nequicquam dum obsidet arces,
Dat quibus auctoris nomen habere Leo,
Territus armorum sonitu se paruus ad vrbem
Fert lepus, & timido corripit arua pede.
Insequitur miles fugientem; & ludicra bella
Dum mouet in leporem, seria Roma timet.
Heu, qui fortunæ lusus! quæ vicerat Orbem
Armis, à ficto vincitur ipsa metu.
Mœnia destituunt ciues; vrbs inclyta capta est;
Prædaq; tam pauidæ dicitur esse feræ.
Ergóne victricem Gentem venabitur hospes,
Vincet &, hostili non quatiente manu?

Scili-

Scilicet, vt veri metuas mandata Tonantis,
Argumentum ingens, Martia Roma, vides.
Succumbis lepori Leo; te hostis concutit error,
Atque aliena procul te fugat vsque fuga.

LV.

DE EODEM, LVSVS.

P*Arue lepus, Latiæne famem compescere Gentis*
Credis, an obsessis auxiliare tuis?
Cæsarei lusus renouas an fortè leonis,
Et iuuat immitis ludere in ore feræ?
An maiora nouo præstas miracula circo,
Audax Romuleam sollicitasse lupam?
Fallor: in ætherea requiem tibi deligis arce,
Mænia dum fugiens, ambitiose petis.
Iamq; nouum sidus prono spectabere mundo,
Æternumq; tibi fama superstes erit.
Dicêris Danai fallacior arte Sinonis,
Vtrimque ignotos composuisse dolos.
Dicêris Samson vrbis quæsisse ruinas
Pro tumulo; & tumulo nobile carmen erit:
Quã fugiés perdit lepus, hac iacet abditus Vrbe;
Non fugere hoc meliùs, non iacuisse datur.

LVI.

DE GREGORIO XI. SVMMO PONTIFICE,

E Galliâ in Vrbem, diuæ Catharinæ Senensis precibus reuocato.



INfesta Oenotrijs Gallia gentibus
Quondam Romuleo sanguine polluit
Vndantem tumidis fluctibus Alliam, &
Vrbem diruit ignibus:
Auro mox inhians, dum Capitolium
Vrget, quàm validos exulis impetus
Sensit, funeribus quæ totidem suis
Vertit funera ciuium!
Heu sed victa diu Gallia prælijs,
Victrix pace, nouâ fulsit adoreâ,
Et sancto viduans Hesperiam Patre,
Præda nobilis aureâ,
Iam nunc præcipitem fluctibus alueum
Laxaret Rhodano; ni redeat suo
Antiquus Latio splendor ab vnicâ
Senarum prece Virginis.

Non

Non tu carminibus, Tibri, potentius
Solues eloquium. Vinctus, & innubâ
Orante, obstupuit Gallicus Hercules,
Prisci fabula temporis.
Hanc & Threicio præferat Orpheo,
Dircæoq; seni, seditionibus
Quòd pressis vigeat Roma beatior;
Orbemq; imperio regens,
Regnantes placidâ lege coërceat,
Peruersisq; minax fulmina diuidat.
Non hæc femineo pectore prouenit
Vis, sed cordis amabilis
Hospes Virgineo stat Deus in sinu.
I, priscæ repetas mœnia Pontifex
Vrbis; rumpe moras, rebus & Italis
Præsis consilio Parens.
Quidni perdociles commodet illicò
Aures imperio? cui procul horrida
Parent regna Stygis, quà reuocant gradum
Mandante, & superas tenent
Auras Tartareis ignibus additi;
Cui defuncta calent corpora ad osculum;
Cui cælum pluuio rore aperit viam,
Dum mors obsequijs fauet.

LVII.

COMITI WALTERO ZAPATÆ, REGIS CATHOLICI PLENIPOTENTIARIO

AD TRACTATVS PACIS GENERALIS.

Cùm ab eo elegantia carmina accepiſſet Auctor, quibus ſoteria præueniebat; quamquam grauiter decumbens, ne caput quidem eleuaret, à Medicis impetratâ facultate, ſequentibus reſpondit.

HÆc ægrotantis languentia carmina ab ore
Dictata excipies, quâ ſuetus, fronte ſerenâ
WALTER, *docte Comes, magnis par rebus agendis.*
Quos Graiâ Latiâque tibi ſpirante Camœnâ
Miſiſti verſus, præſtantis pignus amoris,
Excepi, multumq́; hilaris perſæpe relegi.
Par erat, æquales nitido pro munere, ſaltem
Aut non indignas, grates mea Muſa referret:
Verùm, poſt ſectum corpus, febriſq́; dolores
Immodicos, capitis cruciatus, flamina ventris;
Inde frequens alui curatio, ſectio venæ,

Et

Et victus modicus, simplex & potus aquarum,
Atque quaterdenis iamiam iacuisse diebus,
Vsque adeò tenues priuarunt viribus artus,
Vt vix ingenio speculari, vix meminisse,
Vixq; loqui valeam quidquam: quin cura Medentum
Hactenus alloquia & vultus proscripsit amicos;
Quæ tandem indulsit, breuibusq; reponere tantis
Officijs isthæc permisit: queis tibi dignas
Vt referam, æternas asseruo in pectore grates.

LVIII.

DE CAMILLO QVERNO, ARCHIPOETA.

CVm satur est Quernus, ventosa poëmata ructat.
Non est id capiti, sed stomacho, ingenium.



LIX. AD

LIX.

AD DOMINICVM MOLINVM, SENATOREM VENETVM.

Venetiarum vrbem ac Rempublicam præ ceteris laudat, eiusq́ue Senatores; & inter hos præcipuè D. Molinum.



Ates, compositis parcite laudibus;
Nec se prisca ferat gloria posteris
Maiorem: facili sæcula vicimus
Cursu; nec tumidi tamen
Iactamus celebri carmine, seduli
Non verbis decus extendere longius,
Sed gestis. Abeant Pergama, cælitum
Tot quondam egregius labor.
Cedat Cecropij regia nominis,
Et vultu veteri Roma superbiens.
Cunctas vna super tolleris, Adriæ
Vrbs, ô condita siderum
Aspectu placido; quæ impenetrabili
Muro tuta manes, fulmina negligis,
Bellorumq́; acies; quæ omnibus artium
Terris dogmata diuidis;

Et

Et mutare vices neſcia; firmius
Tractas imperium; quæ fugientibus
Inſtas vi ſtabili fluctibus, & Mare
Cogis iuſſa capeſcere.

Felix ne pete producere terminos
Vltrà; ſed proprijs læta nitoribus,
Tecum viue diu: motibus in ſuis
Cælum ſic requiem parit.

Vltrà nec petit is, qui mouet orbium
Motrices animas, quàm ſibi viuere.
Sic te crede tibi, cui ſatis vndique
Terrarum patet ac Maris.

Si maiora iuuant; i, celer occupa
Cælum, & patritiam pone coloniam,
Quâ ſemper niteant aſtra recentia
Ciues nobilis Adriæ.

Hos inter Proceres præcipuè locum
MOLINVS *teneat, conſiliantibus*
Mens quodcumque petat prouida Patribus,
Et recti columen Status.

Hoc vno maneat Principe Curia;
Nec Muſæ fugiant, nec ſapientia;
Priuatuſq; gerat munera Cæſar, hic
Vrbi ſi aduigilet Cato.

LX. IO-

LX.

IOAN. BAPTISTÆ PANNILINO,

VTRIVSQVE SIGNATVRÆ SANCTISSIMI REFERENDARIO, MELITÆ INQVISITORI, AC APOSTOLICO DELEGATO.

Respondet amico optimo de valetudine suâ; rogatque, vt P. Sebastianum Salelles, Soc. IESV Theologum, permoueat ad euulganda Opera, quæ moliebatur iam antè ad sanctæ Inquisitionis munus instruendum.

AVstrali semote plagâ, languentis ad arcton
Quæ te Rhenani tangit pia cura sodalis,
Eximium patriæ decus ô & candide Præsul?
Improba nephritis vexat: tranquilla sed est mens;
Nec desunt animi, culparum hoc dulce piamen,
Quando manus Domini tangit me, ferre dolores.
Te iuuat intereà medijs meditarier vndis
Inuictæ Melitæ, Fidei pia sceptra regentem,
Candida pectoribus quà fulgent signa salutis
Militiæ illustris. Caros hîc inter amicos
Ille meus viuit solidæ Virtutis amator,
Et bonus, & sancto doctissimus ore, Salelles,
Ordinis egregij columen memorabile IESV.

Sæpè tibi aßideat consultor prouidus æqui:
Excipias illum gratis amplexibus vltrò,
Et fruere alloquijs: faustam tibi gratulor istam,
Haud equidem inuideo, sortem. Sed, quæso, potenter
Illum adigas stimulis, festinet grande Volumen,
Et cedro dignum, venturis tradere sæclis.
Relligionis opes, magni & monumenta beati
Ingenij excipient, æternùm grata, nepotes;
Hæresios poterunt queis putrida membra saliri,
Interitu reuocata pij medicamine Patris.
Quodq; diu viuens, proprijs abstractus Iberis,
(Gloria sit Superis) Melitensi præstitit oræ,
Pagina Christicolas latè diffusa per omnes
Perpetuum peragat felici sidere munus.
Auspicijs cœptum nostris in luminis auras
Perfectum producat opus, cui verba superni
Numinis arrident, mortali voce locuti:
Vos estis sal terræ; *sal hic nomine, sal re.*

LXI.

FLOS, LYDIÆ DONO MISSVS.

EX EO CATVLLI:

Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber.

FLos, qui per lacrymas, nostra & suspiria, creuit,
Ad Solem properat, Lydia pulchra, suum.

LXII. DE

LXII.

DE ROBOREO, IVRIS CIVILIS LAVREA DONATO.

In gratiam Volumnij Bandinellij, alludit gentilitio Roboreo Insigni; ac iuueni benè auspicatur.



Aphnes canentem serta comantia,
Vernasq; frondes, admonuit sacer
Phœbus; nec insanos amores,
Sed veteris refer, inquit, altum

Quercus honorem. Gloria præpotens
Arbos Tonantis, tu decus Italæ
Telluris, Eoi cubile
Aspicis, Occiduiq; Solis.

Onusta sceptris, & senio grauis,
Frontem superbam tollis, & auream
Temnis coronam, dum perenni
Ciuica te decorat triumpho.

Acuta ferri vis tibi nil nocet;
Sed cæde crescis, sub patulo fouens
Phœbi triumphales coronas
Tegmine, Palladiasq; frondes.

Ingens

Ingens canorum currit ad Orphea
Iam quercuum ſilua; at vice redditâ
Vates remotis huc vocantur
Sedibus, & venerantur vmbram.
Ex hoc vetuſto Robore pullulat
Sublime germen: iam celeris diem
Præcurrit æui, atque arduum per
Aëra amat ſuperare nubes.
Ergo ſonoris te fidibus ſequar:
Iam iamq; ſummum tollor in æthera
Diuinus augur, iam futuris
Fata licet ceciniſſe ſæclis.
Ætas beatis ferrea deſinet
Annis, & Orbi mox fluet aurea;
Nouaſq; glandes, aureaſq;
Cernere erit rediſſe Gentes.
Aſtræa terras reſpicit, & Polo
Delapſa ab alto, ſidus amabile
Reliquit Autumnale, & ore
Ver nitido placidum reportat.
Regnat potentis dextera Virginis,
Cuius ſacerdos legibus aureis
Fraudes catenat, qui nocentes
Fulmineo fugat enſe peſtes.

Longè hinc iniqui diffugiunt doli:
Non ira feruens, non furor, aut amor
Hians habendi, ardor nec auri
Exitium referent in vrbes:
Sed viuet intactum Decus, & Fides,
Et Iura sanctis condita moribus,
Postquam Tonantis sacra quercus
Chaonias animare siluas
Assueta, lætis Iustitiæ dabit
Responsa terris. Desine garriens;
At, Musa, dein carmen superbo &
Plectra iuuet posuisse trunco.

LXIII.

CHRISTI NATALIS MEDITATIO.

Quam Auctor ipso Peruigilio Natiuitatis, Eclogæ in modum, purè simpliciterque meditans, ita expressit.

DVm Puer æthereus Superûm demissus ab arce,
Virginis ex vtero gelidas properaret ad auras,
Bethleæ rupis vicino pastor ab antro
Incipit, & gracili modulatur carmen auenâ.
Exsere sancte Puer, mundi tutela ruentis,
Exsere purpurei rutilantia lumina vultus,

Et

Et procul, ah, tenebras antiquæ disijce culpæ.
Expectate diu populis, mea sera voluptas,
Die Puer, Deus ipse, Dei immutabile Verbum,
Æternùm genite, æterni æqua Parentis imago,
Æternum spirans diuini Flaminis ignem;
Nunc genite ô terris mortales indue cultus
Virgineâ de Matre, fruens & paupere tecto,
Maiestatem operi cæliq; soliq; potentem.
Felices tenebras; felicia crimina sontum,
Queis hæc diuini obueniunt miracula amoris!
Dixerat, & lætum rursus pæana mouebat
Sidereas inter choreas, quà gloria cælo
Quà terræ Pax, Pax, geminatis vocibus echo
Attulerat, subitò querulis cùm vocibus auras,
Vagitusq; inter Pueri, pia carmina miscens
Ingemit, & natum blandè solatur amorem.
Siccine, sancte Puer, crudelia frigora lædunt?
Siccine cum gemitu communes luminis oras
Ingrederis? Faciúntne tibi mea crimina fletum?
Parce precor, diuine Puer, Patris vnica proles,
Et Matris prædulce decus: cruciatibus ætas
Non isthæc matura tuis. Præsepia culmis
Hispida, tam sancto capiti, membrisq; tenellis
Quàm malè conueniunt! Distant Bethlemica tecta

Horto Gethſemani: non Aula, aut compita diræ
Hîc adſunt Solymæ, aut feralis culmina montis.
Parcite naſcenti vepres; & ſæua Decembres
Tu glacialis hiems procul hinc auerte pruinas.
Quin potiùs te, Die Puer, compone beato
Virginis in gremio, & calidis amplexibus vltrò
Vtere. Delicias quòd ſi Genitricis amatæ
Fortè fugis, rigidaq́ iuuat requieſcere terrâ;
Terrea ne ſpernas miſeri præcordia amantis;
Inq́ meo, licet haud merear, te pectore conde.
Olli præripiunt tremulam ſuſpiria vocem.
Tum manibus iunctis, madidiſq́ obtutibus hæret
Totus in Infante, & flexo de poplite adorat.

LXIV.

AD ALEXANDRVM, FEDERICI PETRVCII FILIVM.

Conſolatur ſuper morte Lauræ, eius Sponſæ; cælibatum ſuadens, ac Romanæ Vrbis habitationem.

NOn tu querelis, néve perennibus,
Amice, Daphnes fletibus vrgeas
Raptos amores, & feroci
Stamina ſecta manu Sororum.

Quam-

Quamquam insecutus Laurea fleuerit
Arbusta Phœbus plus nimio dolens,
Deiq́ gauderet virescens
Per lacrymas maduisse tellus:
Non illa vis te pectoris improbi
Effrena cogit; sed melior viges
Musarum alumnus, doctus altæ
Temperiem tenuisse mentis
Casus in omnes. Flebilis omnibus,
Quicumque terræ munere vescimur
Mortale vulgus, luctuosis
Occiderit licet illa terris.
Tu perfer ictus corde potentior;
Fortuna nec te sollicitet leuis,
Humana quæ turbat: secundis
Sis vicibus, dubijsq́ rectus.
Sic, dum iacentes nubibus arduis
Valles opacat tristior ætheris
Ira, haud timet nimbos, eodem &
Semper ouans nitet ore Olympus.
Cælo serenus quin animum feras,
Quà se coruscis inseruit plagis,
Et sidus æternum triumphat,
Non tenui sacra fronde laurus.

Illic pudicos dum thalamos tibi
Seruat, iugali non aliam petas
Vincire nexu; sed fidelis
Aonidum genio, beatas
Effunde gazas pectoris aurei,
Quà Tibris vdo labitur alueo.
Hîc me sodalem fors reuises;
Hîc placidè peragetur æuum.

LXV.

De quodam, qui dicitur tumulatus à discipulis viuus, cùm crederetur mortuus.

MEnte procul stantem sua vecors turba magistrũ
Viuentem sepelit, quem periisse putat.
Errantum pœnas doctor luit; & rude vulgus
Tam malè, sic moriens, edocuisse dolet.



LXVI. TRI-

LXVI.

TRITVRA.

Hiſtoricè, & ad modum Hetruriæ, meſſis trituram deſcribit; eâque vtitur ad mores inſtruendos.

ADuenit aßiduis deuota laboribus Æſtas,
Quodq́; vnum agricolæ tempus adeſſe petunt.
Sol premit ætherei feruentia terga Leonis,
Et reparat fronti ſpicea ſerta Ceres.
Sena vale, multumq́; mihi dilecta iuuentus,
Cui comes hybernâ Palladis arte fui.
Me iuuat vmbroſâ ſubter conſidere quercu,
Quò facilis veniat per mea membra ſopor.
Hîc lòngum dormire lubet, dum læta cicadis
Vndique feſtiuo murmure rura ſonant.
Hîc meſſem euigilans cupio ſpectare cadentem,
Quam ſibi proſternit ruſticus ante pedes.
Vndique feruet opus campo: pars illa maniplos
Colligit, & nodo iam leuiore ligat:
Pars onerare trahas aggeſto gaudet aceruo,
Coniunctoq́; domum pondera ferre boue.
Area non procul hinc tereti eſt æquata cylindro,
In quâ excernatur ſordibus acta Ceres.

Hîc vbi laxati consurgunt orbe manipli,
Densaq; compactum reddit arista nemus;
Insilit in medium velox agitator equarum
Agricola, & ternas lora reuincta tenent.
Has agit in gyrum succussu læua, terentes
Triticeam messem; has verbere dextra domat.
Inuertit culmos socius non ritè resectos,
Confusamq; nouo congerit orbe struem.
Hac iterùm stat cogere equas, & frangere, donec
Trita minutatim sit pede tota seges.
Tum pars expurgat paleis, pars ventilat auris
Frumenta, & cribrum pars Cereale quatit.
Diuidit hic messem, impletur sextarius illi,
Et capiunt fructus horrea quæque suos.
Heu sors; quàm breuibus demum deponitur horis,
Annua quod vigili cura labore premit!
Discite mortales rectam componere mentem, &
Continuam studijs inuigilare diem.
Seu Fora vos vmquam, Regum siue Aula vocabit,
Seu versuta procul Curia fortè petat:
Quidquid solliciti denis vix cogitis annis,
Ingenij robur colliget vna dies:
Proferet in lucem verbis tribus ore solutis,
Ponderis hoc quantum mens operosa ferat.

Viri-

Viribus intereà nequicquam fidite vestris;
Poscite sed Superi numina amica Dei.
Motibus æthereis pendent hæc omnia; sed vox
Vna Dei motus imperat, vna regit.
Sæpè sui oblitus cùm respicit arua colonus
Pinguia, nec curat vota referre Deo;
Tum grando segetem crepitās ferit horrida; quamuis
Iam propè Messorum posceret illa manus:
Enecat aut geminis veniens ardoribus æstus,
Aut siccus Boreæ corripit inde furor.
Non sic te ingenij faciat primæua tumentem
Luxuries: tacita deperit illa die.
Immò tuæ recolens Cælo data semina menti,
Primitias Domini sis memor esse sui.

LXVII.

IN GRATIAM EPISCOPI CERVIENSIS.

EIVS SEPVLCHRO INCIDENDVM.

Mortalis regimen vitæ, meditatio mortis:
Hanc vtinam teneas pectore, voce, manu!
Erudière satis, muta hospes talia nostri
Si lapis & cineres dant documenta tibi.

LXVIII.

DE GENVENSIVM REPVBLICA, POST FVGATOS HOSTES, IOANNE IACOBO LOMELLINO CREATO PRINCIPE.

IN GRATIAM IO. MARIÆ GHERARDI.



Amiam sparge nitentibus,
Regina ô Ligurum, compita floribus;
Cælo attolle beatior
Vultus, & nebulas disijce præpotens.
Turbarat validis polum
Nuper fulminibus Gallus, & Allobrox;
Nimbis vernaq; faustitas
Bellorum fugiens cesserat horridis:
Sed te iam melior dies,
Et grato roseus vidit Iberiæ
Sol Eous ab Hespero.
Sensère, ingenitâ robur adoreâ
Priscum viuere Gentibus,
Hostes, Romulidum viribus arduis
Ægrè olim domitum: grauem
Mirati intrepido pectore Curiam
Fugère indociles manus
Telorum, atque rudes agmine milites.

Et

Et quos Velleris aurei
Phryxeus decor, ac verna beatitas
In se allexerat improbos,
Ferro sat domitos cernit ab æthere
Chiron, ante hyemem ferox
Certâ deijciens spicula dexterâ.
Perge ô, perge potens manu
Vrbs, quà & consilio prouida, fluctibus
Atque agro procul impetum
Arcere, & gladios pellere barbaros.
Præcinge intereà comas,
Et iam cana tui tempora Principis,
Matris Cyprigenæ rosis;
Hæc innectat amor serta decentiùs,
Quo Patrum ac populi fauor
Concors tergeminis regnet honoribus.
Felix omine, Dux, bono
Maiora assequere: hinc diuitis Indiæ
Aurum te manet; hinc sacris
Victrix casta tibi laurea frondibus
Exornat Superos virens:
Nam te non oleam, aut gramina frontium,
Nec quercum deceat satis,
Aut myrtum Veneris cernere munera.

LXIX. FE-

LXIX.

FELIS.

Puellæ felem dono mittit; cuius mores, in venando, edendo, cubandoque, nec non pulchritudinem elegantiasque describit.



Estiuum tibi dono, blandulumq́;,
Inclusum calatho, Puella, felem,
Quem tu delicijs tuis lepôrem
Addas. Paruulus est tenellulusq́;;
Sed astu senior, dolisq́; Vlysses
Alter; seu tabulata seu lacunar
Cautus, & pede perleui, silensq́;,
Perlustrat, speculatur, aut ruinas
Obseruat vafer: inde si misellus
Se mus proripiat, repentè in ipsum
Ardens exilit, efferoq́; morsu
Carpens, denticulis ferit gementem
Nequicquam, & crucians recalcitrantem
Lentâ morte trahit. Fugâ modò illum
Euasisse putas; sed vngue acuto
Rursus illaqueat, iacitq́; in altum,
Cadentemq́; rapit, modisq́; mille
Ludit, dum moriatur. Illicò tunc

Dat

Dat prædam ſocijs volens libenſq́;:
Non enim dape veſcitur ferinâ,
Niſi elixa priùs, vel aſſa menſæ
Paratæ inſtiterit, prematq́; lancem.
Tum aſsiſtit lateri comes, meamq́;
Fruſto furcinulam grauem tepenti
Furatur pedis vngulâ decori,
Eſtq́; mox vacuam reponit. Illum
Credo patritio ſatum parente,
(Siquidem inter eos manent popelli
Gradus, patritiæq́; iura gentis).
Tanti eſt ingenij, vigent in ipſo
Mores vſque adeò. Nec indecora
Eſt illi facies: nitent ocelli;
Auribus breuis eſt, nigerq́; totus,
Præter lacteolos pedes & ora:
Cultu eſt candidus, elegans: nec vmquam
Dormit ad cinerem; ſed acquieſcit
Libens ſub gremio, vel in cubili.
Feſtiuum hunc tibi dono blandulumq́;;
Cui ſi blanditijs tuis fauebis,
Donabo catulum venuſtiorem.

CANTICVM MOYSIS.

Exodi 15.

1. CAntemus Domino: gloriosè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare.

2. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem: iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.

3. Dominus quaſi vir pugnator, Omnipotens nomen eius.

4. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius ſubmerſi ſunt in Mari rubro.

5. Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.

6. Dexte-

LXX.

CANTICVM MOYSIS,

CANTEMVS DOMINO: GLORIOSE ENIM MAGNIFICATVS EST. *Exodi* 15.

Paraphrasi poëticâ reddidit, in gratiam Francisci Mariæ Merlini, Episcopi Ceruiensis.

1. *NVnc est canendum: nunc pia Cælitum*
Dicenda Regi carmina. Gloriæ
Innixus altæ, qui profundo
Strauit equos equitesq; ponto.

2. *Tu grande robur, tu decus arduum,*
Salutis auctor tu mihi, tu Deus;
Te laude tollam; te paternum
Muneribus cumulabo Numen.

3.4. *Visus potenti nomine copias*
Pugnator vnus pellere barbaras,
Mergensq; Erythræis vehicla,
Et Proceres Pharaonis, vndis.

5. *Illos aquarum vis procul obruit*
Immensa; pondus ceu graue marmoris
In ima deuecti, repentè
Æquoreo cecidêre fundo.

6. *Diuina*

6. Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine: dextera tua, Dñe, percuſſit inimicũ.

7. Et in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos: miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam.

8. Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ: ſtetit vnda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.

9. Dixit inimicus: Perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

10. Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.

11. Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?

12. Exten-

6. *Diuina factis dextera fortibus*
Elata, turmas diffidit hostium,
7. *Et glorioso peruicaces*
Impete perdomuit rebelles.
Armauit iram, quâ nece sustulit
Illos voraci; non secùs ignibus
Absumit arentes caminus
Flammifero stipulas hiatu.
8. *Dio furoris percita spiritu,*
Sese coëgit per medium mare,
Fluxumq; dediscens, rapaces
Continuit leuis vnda fluctus.
9. *Tum dixit hostis: Persequar, insequar,*
Nectam cateruis vincla fugacibus:
Nudabo ferrum, cæde cædam,
Et spolijs locuples redibo.
10. *Sed tu beato flamine in aëra*
Difflasti; & hostes vortice plurimo
Neptunus inuoluit, ruentes
Ceu solido simulacra plumbo.
11. *Inter potentes militiæ Duces,*
Quis conferendus, quis similis Deo,
Quem sanctitas, quem terror vnà
Magnificum celebremq; miris

12. Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra.

13. Dux fuiſti in miſericordia tua populo quem redemiſti: & portaſti eum in fortitudine tua, ad habitaculum ſanctum tuum.

14. Aſcenderunt populi, & irati ſunt: dolores obtinuerunt habitatores Philiſthiim.

15. Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

16. Irruat ſuper eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui: fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat populus tuus Domine, donec pertranſeat populus tuus iſte, quem poſſediſti.

17. In-

Æternat actis? 12. Ille manum in truces
Extendit hostes vix, & ab intimo
Diffissa captiuos resorbet
Terra sinu, tumuloque condit.
13. *Nos ille pressos tot miserans malis*
Redemit; idem se dedit agminum
Ductorem, & acri dexterâ ædem
Incolumes tulit ad beatam.
14. *Surrexit atris icta furoribus*
Commota Idume, & proximus accola
Horrore tactus, 15. Principesque
Sollicitus pauor egit Edom:
Quin fortiores obtinuit Moab
Formido; & omnes, qui Chanaam colunt,
Expalluerunt; ac, superba
Ora, metu obriguêre gentes.
16. *Formido in illos, ô, ruat ampliùs,*
Terrorque, & omnes vis tua deprimat.
Immota bellantum rigescant
Agmina, ceu lapidum iacentes
Per prata acerui, donec ab hostium
Transcurrat arctis Gens tua finibus;
Pertranseant donec tuorum
Mille acies, Deus, & caterua.

17. Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo quod operatus es Domine: ſanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.

18. Dominus regnabit in æternum & vltrà.

19. Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare: & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris: filij autem Iſraël ambulauerunt per ſiccum in medio eius.



17. *Ad ſancta ducas culmina montium,*
Te auctore dudum condita. firmior
Hîc noſtra ſedes nos, manentq́;
Templa nouo fabricata ſaxo.

18. *Viuit Creator, vincit io Deus:*
Æterna regnet ſæcula, qui fauet
Ritè apprecanti. 19. *Ingreſſus vndas*
Ecce eques, & Pharao, & quadrigæ,
Dum ſicca tranant æquora, tum Deus,
Vndas reducens, deſuper obruit:
Sicco recedens Iſraëlis
At populus pede ſcindit æquor.



LXXI.

IN MAGNVM.

Bononienſi peſte graſſante, Bononienſes aues à Magno Ferrariæ non admiſſæ.

EXulat à cautâ Magni miliaria mensâ,
Dum metuit peſtem ne vaga penna ferat.
Ponatur quæſo tutæ cornicula cœnæ,
Quæ fugit immunis, nec gerit vna luem.

LXXII.

IN EVMDEM.

BIs denas miliarias, Amice,
Pingues, & ſapidas meo palato,
Quòd donas, ago gratias. Quòd aruis
Captas Felſineis referre peſtem
Credens, abnueris ſed antè cautus,
Iuuat te timidum fuiſſe: peſti
Agam, non tibi, gratias, Amice.

LXXIII.

IN EVMDEM.

DVm nimiùm refugis peſtem, miliaria, turdus,
(Sic Medico placuit) non tibi, Magne, datur.
Magne, tibi gignet metus hic contagia: peſtem,
Tam gratis epulis qui caret, ille facit.

LXXIV. D. AS-

LXXIV.

D. ASCANIO PIO DE SABAVDIA. *Ferrariam.*

Moram ſuam in Weſtphaliâ ad quinque annos, ac Pacis fruſtrationem dolens, Italiæ motus, Germaniæ vaſtitatem amico ob oculos ponit; ac tranquillitatem vouens, Deo amoris Spiritui ſancto commendat, Auguſto menſe anni M. DC. XLVIII.

ERgone deuexum cælo quæ terminat annum,
Vltima ſidereos oſtentans ſemita piſces,
Iam quintùm redÿt; toties redit ordine Libra,
Phœbi æquans noctiſq; vices, me Saxonis ex quo
Inferior tellus Vbÿs excepit ab oris?
Nec tamen vlla venit populorum candida votis
Pax optata diu? lacrymiſq; & ſanguine rurſus,
Et ferro flammaq; vorax producitur æuum?
Hunc mihi da calamo ſaltem lenire dolorem,
Quæſo Pÿ genus Æneæ; ſolare gementem
Eridani decus Aſcani, ſeu libera vinclis
Muſa fluat, metricâ ſeu ſtringat compede greſſus.
Tu patriam ſeruas immunem Martis aperti:
Imminet ille tamen, vicinoq; æſtuat igne.

Nec deeſt Italiæ minitans diſcrimen, egeſtas
Infelix frugum. Siculas vacua horrea primùm
Turbarunt vrbes: ſimili mox concita fato
Parthenope caſura fuit, Latiumq́; paterna
Dextera Pontificis quod muniјt. Vmbria clamat:
Piceni armantur: rabies Firmana trucidat
Rectorem veſana ſuum, diraq́; cruentat
Cæde manus; fore quod cecinit Pharſalidos Auctor,
Gnarus, & irarum cauſas, & ſumma fauoris
Annonâ momenta trahi: namq́; aſſerit vrbes
Sola fames, emiturq́; metus; cùm ſegne potentes
Vulgus alunt, neſcit plebes ieiuna timere.
Hinc Aſtræa dolet labem, hinc exempla malorum.
Sed placidas hominum mentes bella, horrida bella,
Corrupêre magis. Toto Pax exulat Orbe,
Et mæret calcata Fides; temeratur eodem
Crimine Nobilitas, & auiti ſtemmatis exlex
Degenerat Virtus, vitijſq́; oppreſſa rebellat.
Aſt ego, quas video (decimus iam voluitur annus)
Damnorum ſegetes Germanis ſurgere campis!
Si cupiam linguâ calamoq́; referre fideli
Excidium Gentis, lati quæ finibus Orbis
Terror erat; clades animus miſeratus acerbas
Vix queat, auerſas auditor præbeat aures,

Et

Et veri lucem mediâ de luce requirat.
Vsque adeò prædura fidem, & prægrandia vincunt.
Infernis emissa plagis nostro Orbe vagatur
Eumenidum funesta cohors; comitesq́ sequuntur
Et dolus, & furor, insidiæq́, & flebile lethum.
Nulla viget regio; viduatæ ciuibus vrbes;
Tecta euersa; Aræ incensæ; spoliata colonis
Squallent arua; calent cognato sanguine riui:
Effrenis nec adhuc scelere exsatiata libido
Bellandi, nec adhuc rabiem compescit Erinnys.
His ego nocturnis lacrymis, gemituq́ diurno
Immoror. Hæc vtinam Gentes, quas Rhenus inundat,
Quas Rhodanus præceps, quas torrens ambit Iberus,
Secum animo reputent! & amicas fœdere certo
Coniungant dextras, & feßus pondere belli
Miles, & exhausti ciues populiq́ quiescant:
Iura Magistratus repetat sua, nobilis artes
Ingenuas pubes, desertaq́ rura colonus,
Securas quoque pastor oues, ad littora merces
Nostra vehat nigris auidus mercator ab Indis;
Et sua tranquillo redeat Pax aurea sæclo.
Sed rapuêre Noti, tum spes tum verba, proterui
Per mare, per Syrtes. Toto hæc collegia lustro
Tot Legatorum decumana volumina verbis

Opplerunt Pacis, nec adhuc concordia constat:
Sed maiore fremens sæuit Bellona tumultu.
Te rogo, qui Cælum, qui terras Numine comples,
Quo sine frondosâ folium non decidit vlmo,
Cuius ad arbitrium flectuntur corda Potentûm,
Spiritus alme Patris, Natiq; æterna voluptas,
Tu miseris aßiste pius; Tu frange rebelles;
Tu Romanum orbem cælesti Pace serena:
Tu Magni quintum geniali hac luce corona
Præsulis INNOCVI *annum; Tu delubra reponens,*
Discordes conuerte animos, populumq; tuorum
Sancte Amor hîc seruans, actæ post nubila vitæ
Æthereas olli sedes, & regna beata
Indulge, ambrosiasq; epulas, quibus vsque fruatur
Pronus ad obsequium. Dignis tibi gloria fastis
Crescat, & æternis nectatur adorea sertis.



LXXV. D. I A-

LXXV.

D. IACOBO ABBATI ALTOVITO. *Romam.*

Amico veteri de suâ valetudine, de curis, de Pacis negotijs scribens, dilatam eam malo omine lacrymatur; & à Deo probitate vitæ petendam asserit.

Solue citos Elegia pedes, licet impare gressu,
Et sparsas nitido vertice necte comas.
Siste precor lacrymas: auges mala nostra querelis,
Et gemino cruciat corda dolore dolor.
Quærimus afflicti miseris solatia rebus,
Et procul auxilium consiliumq; malis.
Ergo age, VVestphalici neglectis sordibus Alphæ,
Ad Tyberim recto tramite verte gradum.
Hîc Alto memores Vito mea musa salutem,
Quæq; loqui iubeo paucula verba refer.
Inuenies, Tusci redeuntem è collibus Arni,
Romanis patrios posthabuisse lares.
Ingenuam agnosces formam, moresq;, decusq;,
Eloquij veneres, ingeniumq; viri.
Hæc venerare priùs: tum fidi pectus amici
Stringe manu, & castis oscula fige genis.

Ver rediȷt iam bis decies, ad littora cùm nos
Eridani sancto fœdere iunxit amor.
Si rogat vt valeam: stomachi vis insita torpet,
Dens tremit, & capiti crassior aura nocet:
Rari errant, post lustra decem, per tempora cani,
Et parcè vultum ruga senilis arat.
Et pascor modicè, & peto, dum fauet aura, serenum,
Seu pedibus lubeat, seu magis ire rotis.
Nunc placet hortorum breuis hîc & rara voluptas;
Nunc Amasis, patiens quâ ratis vnda fluit,
Seu Tellichta velit, propè seu VVolbecka videri,
Hassorum duras vtraque passa manus.
Quærere fracta salus crebrò medicamina, & herbas
Pæonis, & doctæ cogitur artis opem.
Cetera dic sanum, postquam de corpore secto
Calculus effractâ iussus abire viâ.
Ast animus si fortè rogat, num langueat æger,
An valeat tantis fortior vsque malis;
Vera refer: Superi quæ est indulgentia Patris,
Et valet, & curis angitur ille suis.
Siue diem reparat splendenti Phosphorus astro,
Seu fusco tenebras Hesperus vrget equo,
Vna meas semper depascitur alta medullas,
Serpit & in tacitos abdita cura sinus.

Non

Non ita languentes torret ſitis improba fauces,
Cùm iecur & pectus febris anhela quatit:
Non ita frondoſâ Tyrinthius arſit in Oetâ,
Deceptus donis Deïanira tuis;
Vt me Pacis amor ſtimulis conſumit acutis
Sedulus æternâ Regna ligare fide.
Huc ego longinquis cùm veni miſſus ab oris,
Vltimus VRBANI *Principis annus erat.*
Dum Pater hîc, Pyliæ ſeruent quem fata ſenectæ,
Me tenet INNOCVVS, *quarta recurrit hiems.*
Septima paciferæ turbæ præluſerat æſtas
Hamburgi, vt facilem poſſet inire viam.
Agrippina, tuâ pars hæſerat vrbe, moleſta
Nequicquam longæ tædia paſſa moræ.
Adfuit & Latio decoratus murice Præſul,
Et geminus mitræ quem ſacer ornat honos.
His ego ſubſtituor, cùm ſanus adire penates,
Et cuperem patriam viſere ſoſpes humum.
Ah! timui, auſpicijs vidi cùm tanta ſiniſtris
Pondera conſilijs incubuiſſe meis.
Arriſit Mimigarda, nouo quòd nomine mallet
Eſſe Monaſterium, ſeu ſacer ordo Patrum;
Cùm comes, auerſo deducens omine verbum,
A Monſtro potiùs nomen habere monet.

Alter

Alter ait: Satyra Italicis innotuit oris,
Quà Phaëthontæi murmurat vnda Padi:
Nempe amissa olim totis discordia terris,
Dum quæsita diu nocte dieq; latet;
Tandem inter Monachos, sua qui comitia agebant,
Inuenta, & sceptri munere præses erat.
Turbidus exiguum tanti dabit Alpha Senatus
Principium, obscuris fluctibus, alter ait:
At concludendi finem qui poßit eidem
Ω μέγα postremum ponere, nullus erit.
Mens mihi læua magis hæc tristia sæpè canebat
Voluere Sisyphiâ marmora vasta manu;
Aut terebrata vagis perfundere dolia Lymphis,
Quæ Danai natas irrita cura tenet.
Perrexi tamen, Ætherei quò iussa vocabant
Numinis; hanc vnam quærere suetus opem.
Vere Aries primo reserabat corniger annum,
Et glacie & niuibus mitior ibat hiems:
Pars aderat Procerum, pars iungitur altera; cœtus
Crescit, & à numero læditur ipse suo.
Nam velut ad nocua accurrunt incendia multi;
Non omnes illuc mens tamen vna trahit:
Hic vigil accensas quærit restinguere flammas
Fontibus; hic largas portat anhelus aquas:

Ille

Ille laboranti properat succurrere gazæ;
Sed facit ingratas obuia turba moras.
Sic studio pars cæca diu in contraria ferri,
Et rapidis oleum fundere visa rogis.
Sic bellum Pacis sonitu truculentius arsit,
Damnaq́ præteritis deteriora dedit.
Primores obière Patres; & vidimus vnà
Optatæ Pàcis votaq́ spesq́ mori.
Nil intentatum precibus monitisq́ reliqui,
Sollicitus tritas ire redire vias;
Europam pacare omnem, & componere certis
Legibus Austriacam Borboniamq́ domum;
Vt consanguinei damnent ciuilia Reges
Arma, quibus meliùs Thracia victa ruat.
Postulat hoc Sceptri pietas; grauiusq́ recusant,
Quàm tolerare queant, vtraque Regna iugum.
Hæc eadem toto communis pectore clamat
Relligio, mæstas non semel vda genas:
Hæc lacrymis gemituq́ suo ter maximus vrget
Antistes; monitis hæc tonat ille suis.
Antiquis pia thura focis adolentur, & omnis
Carminibus latè consonat Ara sacris:
Assiduus niueâ redimitus veste Sacerdos
Euocat è cælo Numen, & ore litat:

Vir-

Alter ait: Satyra Italicis innotuit oris,
Quà Phaëthontæi murmurat vnda Padi:
Nempe amissa olim totis discordia terris,
Dum quæsita diu nocte dieq; latet;
Tandem inter Monachos, sua qui comitia agebant,
Inuenta, & sceptri munere præses erat.
Turbidus exiguum tanti dabit Alpha Senatus
Principium, obscuris fluctibus, alter ait:
At concludendi finem qui poßit eidem
Ω μέγα postremum ponere, nullus erit.
Mens mihi læua magis hæc tristia sæpè canebat
Voluere Sisyphiâ marmora vasta manu;
Aut terebrata vagis perfundere dolia Lymphis,
Quæ Danai natas irrita cura tenet.
Perrexi tamen, Ætherei quò iussa vocabant
Numinis; hanc vnam quærere suetus opem.
Vere Aries primo reserabat corniger annum,
Et glacie & niuibus mitior ibat hiems:
Pars aderat Procerum, pars iungitur altera; cœtus
Crescit, & à numero læditur ipse suo.
Nam velut ad nocua accurrunt incendia multi;
Non omnes illuc mens tamen vna trahit:
Hic vigil accensas quærit restinguere flammas
Fontibus; hic largas portat anhelus aquas:

Ille

Ille laboranti properat succurrere gazæ;
Sed facit ingratas obuia turba moras.
Sic studio pars cæca diu in contraria ferri,
Et rapidis oleum fundere visa rogis.
Sic bellum Pacis sonitu truculentius arsit,
Damnaq; præteritis deteriora dedit.
Primores obiêre Patres; & vidimus vnà
Optatæ Pàcis votaq; spesq; mori.
Nil intentatum precibus monitisq; reliqui,
Sollicitus tritas ire redire vias;
Europam pacare omnem, & componere certis
Legibus Austriacam Borboniamq; domum;
Vt consanguinei damnent ciuilia Reges
Arma, quibus meliùs Thracia victa ruat.
Postulat hoc Sceptri pietas; grauiusq; recusant,
Quàm tolerare queant, vtraque Regna iugum.
Hæc eadem toto communis pectore clamat
Relligio, mæstas non semel vda genas:
Hæc lacrymis gemituq; suo ter maximus vrget
Antistes; monitis hæc tonat ille suis.
Antiquis pia thura focis adolentur, & omnis
Carminibus latè consonat Ara sacris:
Assiduus niueâ redimitus veste Sacerdos
Euocat è cælo Numen, & ore litat:

Vir-

Virginei cœtus, & nescia pectora noxæ,
Pacifico fundunt vota precesq́; Deo.
Nec tamen audimur. Feruent in prælia dextræ;
Longiùs & nostro Pax procul orbe fugit.
Ancipitis tu Martis vter fortasse requiris
Promoueat finem præpediatq́; magis:
Scire nefas ex me, blandis quem pascit vterque
Vocibus; arcani cordis at ima latent.
Scilicet vt vincat, non cessat perdere lusor;
Et lucris inhiat victor, vbi aura fauet.
Rectiùs hæc alij doceant: me præstat vtrique
Credere, dum Pacem quilibet ore sonat.
Pontificis communis amor cuicumque fauebit,
Otia tranquillæ qui modò Pacis amat.
Huc me deducunt Patris mandata Latini;
Huc non inuitum me mea vota trahunt.
Regibus ergo sacris parcas, Regumq́; ministris,
Ac Stygij damnes agmina dira Iouis.
Hæc nostris inimica Aris, pietatis auitæ
Turba nouatores, ad fera bella mouet.
Tartareo digressa specu, tenebrosa per Orbem
Nubila fumosæ dissipat illa Stygis.
Hæc cælum rapit ex oculis, lucemq́;, diemq́;;
Atque humili cogit serpere corda solo.

Nostra

Nostra ferox igitur producunt crimina bellum,
Et luimus meritum per mala tanta nefas.
Dixit: Ego pacem faciens Deus. *Illius ergo est*
Vnius hæc donum; cetera fluxa reor.
Poscimus hanc frustrà Pacem, quam crimine fœdo
Perdimus: exemplo qui petet, ille feret.
Quam verbis petimus, rebus poscamus eamdem:
Est multum, verbis iungere posse manus.

LXXVI.

D. FRANCISCO ALBICIO PRÆSVLI. *Romam.*

Patientiæ ab amico admonitus, tranquillo se animo esse ostendit: Monasterium Westphaliæ Vrbem, ædificia, incolas ac mores ludicro carmine describens.

ALbicij genus Hetrusci, quo sæcula pacis
Artibus, & belli nobilitata nitent;
Quâ me donatum voluisti, reddo salutem,
Et precor optatos viuere perge dies.
Vix tua postremis Augusti missa diebus
Ad nostras venit littera grata manus;
Illa iubet cœptos inter perstare labores,
Dum niteat placido candida stella mari.

 Perfer

Virginei cœtus, & nescia pectora noxæ,
Pacifico fundunt vota precesq́ Deo.
Nec tamen audimur. Feruent in prælia dextræ;
Longiùs & nostro Pax procul orbe fugit.
Ancipitis tu Martis vter fortasse requiris
Promoueat finem præpediatq́ magis:
Scire nefas ex me, blandis quem pascit vterque
Vocibus; arcani cordis at ima latent.
Scilicet vt vincat, non cessat perdere lusor;
Et lucris inhiat victor, vbi aura fauet.
Rectiùs hæc alij doceant: me præstat vtrique
Credere, dum Pacem quilibet ore sonat.
Pontificis communis amor cuicumque fauebit,
Otia tranquillæ qui modò Pacis amat.
Huc me deducunt Patris mandata Latini;
Huc non inuitum me mea vota trahunt.
Regibus ergo sacris parcas, Regumq́ ministris,
Ac Stygij damnes agmina dira Iouis.
Hæc nostris inimica Aris, pietatis auitæ
Turba nouatores, ad fera bella mouet.
Tartareo digressa specu, tenebrosa per Orbem
Nubila fumosæ dißipat illa Stygis.
Hæc cælum rapit ex oculis, lucemq́, diemq́;
Atque humili cogit serpere corda solo.

Nostra

Nostra ferox igitur producunt crimina bellum,
Et luimus meritum per mala tanta nefas.
Dixit: Ego pacem faciens Deus. *Illius ergo est*
Vnius hæc donum; cetera fluxa reor.
Poscimus hanc frustrà Pacem, quam crimine fœdo
Perdimus: exemplo qui petet, ille feret.
Quam verbis petimus, rebus poscamus eamdem:
Est multum, verbis iungere posse manus.

LXXVI.

D. FRANCISCO ALBICIO PRÆSVLI. *Romam.*

Patientiæ ab amico admonitus, tranquillo se animo esse ostendit: Monasterium Westphaliæ Vrbem, ædificia, incolas ac mores ludicro carmine describens.

A*Lbicij genus Hetrusci, quo sæcula pacis*
Artibus, & belli nobilitata nitent;
Quâ me donatum voluisti, reddo salutem,
Et precor optatos viuere perge dies.
Vix tua postremis Augusti missa diebus
Ad nostras venit littera grata manus;
Illa iubet cœptos inter perstare labores,
Dum niteat placido candida stella mari.

Perfer & obdura; franget patientia ferrum:
Sic loqueris; rurſum ſic loquor ipſe mihi.
Senſi equidem voces perfundere pectus amicas,
Perq́ meos ſenſus ſerpere; Perfer adhuc.
Pareo mandanti facilè; vtq́ agnoſcere poſsis,
Tranquillo ſedeat quæ mihi corde quies;
Carmina ſi veniunt animo deducta ſereno,
Et ſolùm læto fingitur ore ſonus;
Experiar calamo committere verba fluenti,
Et mea non iuſſo carmine muſa ruet.
Intermiſsi igitur veniant in vincula verſus
Sponte ſuâ, venæ liberioris opus.
Tempora ſunt noctis decies æquata diei,
Ex quo Saxoniæ limina prima tero.
Huc ſancti me iuſſa Patris traxêre, patulci
Bellica dum Iani claudere templa cupit.
Hîc Mimigarda tenet, quò Regi vinctus vtrique
Legatos Cæſar miſerat ante ſuos.
Magnus id oppidulo nomen dum Carolus olim
Et Mitræ dedit, & Relligionis opes;
Inde Monaſterium ſexcentis audit ab annis,
(Germanis Munſter*) VVeſtphaliæq́ caput.*
Vrbs gemino muro, geminâ circumdata foſſâ;
Quam procul hinc Amaſis lambit, & Alpha ſecat.

Tem-

Templa nitent veteri cultu, poſtquam omnis abacta
Cum duce veſano turba retincta fuit.
Contingunt nubes præacuto vertice turres,
Dulce vbi dant populis æra ſacrata melos;
Et caueis ſuſpenſa tribus ſublime, nefandæ
Hæreſeos pœnas corpora trina luunt.
Pingui ſæpè luto ſordent obliqua viarum,
Et lateri aggeſtus fumat vtrimque fimus:
Namq; boues fœtæ, & ciues clauduntur iiſdem
Ædibus, hircus olens, ſetigeriq; ſues.
Euocat in campum cornu reſonante ſubulcus,
Cùm primùm tenebras diſcutit orta dies.
Vix properant ſeræ denſata crepuſcula noctis,
Cùm pecus ad proprias ille reducit haras.
Turmatim admiſſos mirabere mœnibus omnes
Ad ſtabulum notâ currere quemque viâ.
Officioſa cohors grunnitu plaudit, & ampla
Atria perſultans, ad ſua clauſtra redit.
Veſtibulo videas vaccas hinc inde cubantes;
Turma ſalutatrix fulcit vtrumque latus,
Anſer, anas, felis, criſtati femina galli,
Et canis atque ouibus qui ſociantur equi.
Hac natis famuliſq; aditus, matriq; patriq; eſt,
Quà fumo & flammis laxa culina patet.

Desinit in latum tota ingens aula caminum,
Suspensi pretium qui petasonis habet.
Vix succisa Ceres, spicis paleisq; referta
Excipiunt laxæ grandia plaustra fores.
Confusas segetes tecti sub culmine condunt,
Atque repurgantes grana subinde legunt.
Hæc celeri frangit gyro versatile saxum,
Vndarum cursu seu leuis Alpha citat,
Siue decussatis trabibus pendentia circum
Præcipiti voluunt lintea tensa Noto.
Plebeias ædes paries sustentat, ab imo
Contextus quernâ culmina ad alta trabe:
Hunc lateres cocti, vel mixto vimine creta
Vestit, & obducto stupea fulcra luto.
Nobilium sculptis spatiosa palatia tignis;
Maiorumq; armis cærula vitra nitent:
Et decorant pictos ceruorum cornua postes,
Aut lepus, aut hirtâ pelle timendus aper.
Villosæ exuuiæ, desectaq; terga ferarum,
Illustre hæc limen rapta trophæa notant.
Secernunt humili venantûm insignia vulgo;
Quiq; præest alijs, imperat antè feris.
Porticus innumeris format spatiosa columnis,
Et plenum multâ semita merce forum.

Curia reſplendens attollit ad æthera culmen,
Et patriæ Patres excipit aula capax.
Mancipat obſequijs natiua modeſtia ciues,
Et cibus immodicas, & toga damnat opes.
Ingenuas artes, ac Phœbi caſtra ſequuntur,
Quæq; docent veteres dogmata ſacra Patres.
Hemicyclo vultum ſupponit femina pullo,
Quam ſubtus Tyrio Syrmate byſſus obit;
Aut corbe inuerſo pluuiâ defendit ab aurâ,
Cratibus incluſo, de grege ſiqua venit.
Vnica laus Baccho, quem Rhenus & vnda Moſellæ
Tranſmittit plauſtro, aut Gallica cymba vehit.
Incluſos hypocauſto, aduentu prandia noctis,
Et cœnam Phœbi claudere luce iuuat.
His ergo in tectis tranquillam protraho vitam,
Quantumuis mentem tetrica cura voret.
Sit licet in tenebris luctuq; diutinus atro,
Et tegat aſsiduo Iuppiter imbre caput;
Ambulo, ſeruo domum, lego, ſcribo, negotia curo,
Sacra colo, pacem nocte dieq; rogo.
Cetera, ſi redeam ſoſpes, me dicere coràm
Fas erit; intereà me redamatus ama.

LXXVII.

Felken.

D. FRANCISCO NERLIO, MANTVANO MARCHIONI;

Amico, qui Monaſterienſem veſtem miratus, quâ mulieres caput & humeros tegunt, eam depingi curauerat, ac in Italiam miſerat. Eamdem accuratè deſcribit per otium & ioci causâ

WEſtphalicæ tibi cura fuit non vltima veſtis,
Quâ graditur cultũ femina cincta caput.
Clariùs exponam, ſi fecerit otia Phœbus,
Notaq́; depinget Muſa colore ſuo.
Hemicycli ſpecie planam tibi finge tabellam,
Quam circùm tenuis nigraq́; lana tegit.
Chorda premit frontem, tergum ſed circuit arcus;
Vix humeros ex hac pendula palla terit:
Illa pedes binos, ternos amplectitur iſte;
Palliolum pendens ſeſquipedale puta.
Quod ſi craſſa humeris matrona extenditur amplis,
(Quales Saxonicâ ſub regione tument)
Augetur menſura breuis, proportio donec
Exæquet modulo grandia membra pari.

Exte-

Exteriùs lanâ, interiùs bombyce ſuperbit;
Atque Damaſcenâ floribus arte nitet.
Extremas oras circùm bombycina veſtit,
Vndique & ornatum fimbria ſepit opus:
Non ſecùs ac ſummâ quondam ceruice caniſtrum
Lenta gradu incedens Attica virgo tulit.
Femineum hoc decus eſt dum iam ſpectabilis errat
Per fora, per plateas, per ſacra templa pedes.
Non cælum ſpectare potis, non cernere terram;
Tam plenum æquali pondere librat onus.
Candidior dici è nigro ſeu malit amictu,
Vt magis è piceâ Cynthia nube micat:
Siue cupit grauior populo, maiorq́ue videri,
Qualia ſub pluteis ſtant ſimulacra Deûm;
Non illi Eoam præponat crede tiaram,
Non Cidari Armeniæ poſthabuiſſe velit;
Præferat & Phrygiæ ſinuoſum VVeſtphala mitræ,
Auſa magis Felken *tollere ad aſtra ſuum.*
Ingreſſura, latus præmittere cogitur, ædes,
Si fortè anguſto ianua poſte patet;
Cornua tam latè rectam protenſa repellunt;
Obſequium hoc veſti debet habetq́ue ſuæ.
Eſt tamen his aliquid velis obnubere frontem;
Qui tegitur, magis hoc eminet orbe, decor.

Est & in obstipâ quædam ceruice venustas,
Maiestasq́; suo grandior ore sedet.
Obuia si veniat Chloris, seu iungere dextram,
Oscula seu labris officiosa dare;
Vtraque conuersas adnectit machina frontes,
Et coëunt vnâ bina theatra rotâ.
Palliolo facies abeunt humeriq́; sub atro,
Atque ambæ ducto protinus orbe latent.
Nec locus est vltrà, cupiat si Delia cætum
Augere officijs obsequiosa suis;
Ni rursum in partes discinditur Amphitheatrum,
Ac duplex secto pegmate scena redit.
Funeream nuper comitans longo ordine pompam
Opplebat totum magna caterua forum.
Astiteram summâ spectatum fortè fenestrâ,
Cùm species oculos perculit illa meos.
Visa atrata mihi ferri tabulata per vrbem
Sponte suâ, miris exagitata modis.
Elysios timui manes, vmbrasq́; silentûm
Suppositas tectis membra mouere dolis.
Visa modò è silice ingenti strata ampla viarum
Se tacitâ sensim proripuisse fugâ:
Et modò squammosi infandùm prægrandia ceti
Protinùs occulto serpere terga pede:

Aut

Aut quæ bellantûm clypeis intexta refertis
Teſtudo aſſurgens hoſtica tecta ſubit.
Vſque adeò imponens lunatas VVeſtphala peltas
Iungebat capiti nexilis arte phalanx.
Non glacialis hiems, non feruens impedit æſtus
Nobile geſtamen, non grauis imber aquis.
Si tamen Æolidæ ſurgunt in prælia fratres,
Non ſecùs ac vexant carbaſa tenſa mari:
Tum verò ex humeris extremas protinus oras
Corripit, & forti ſtringit vtrimque manu:
Aut rapidi facto ſi perſtent agmine venti,
Complicat, ac lateri penſile geſtat onus.
Hæc tibi VVeſtphalicum repræſentantia Felken
Carmina mixta iocis garrula Muſa dedit.
Si malè deſcribunt, nec percipis, abijce verſus,
Et tibi ſint luſus, qui mihi luſus erant.
Scilicet ingratas libuit ſic fallere curas:
Omnis namque meo eſt Carmine cura procul.

LXXVIII.

D. CALANIO DE ACIARIA.

Romam.

Idus Februarij anni M. DC. XLIX. diem suum natalem Deo consecrat: à quo bona sibi profecta recenset, ac Diuinam erga delicta clementiam, mortalis vitę pericula, & documenta piè meditatus, cum amico communicat.

EIa age, festiuo resonant dum compita Baccho,
Saturnoq; suo libera turba litat;
Hîc, tibi semoto quà panditur aula recessu,
Innocuo mecum lude Thalia sono.
Nec dare iucundo pigeat breue carmen amico:
Ingratus donis non erit ille tuis.
Seu colit, æternâ Romani Tybridis vrbe,
Alta Quirinali proxima tecta iugo;
Seu lambit Tuscos quà vitreus Arbia campos,
Inuisit patriæ dulcia rura suæ:
Te, scio, suscipiet lætus, totidemq; reponet
Cantatos citharâ nobiliore modos.
Olli blanda quies, & nostra iunior ætas,
Ingenium viuax, otia grata fauent:
Me tristes curæ, me quinquagesima Iani
Sollicitat canis inuida bruma comis.

Hæc

Hæc mihi natales FebruarI reddidit Idus,
Frigens & dubio lumine nata dies.
An tamen, & quoties alios reditura per annos
Illa sit, obscurâ sidera nube tegunt.
Hanc colo, vitales hausi quâ luminis auras,
Vsque memor grates persolüisse Deo.
Hanc etiam metuo, vitæ ne damnet inertis,
Pendebit supero cùm mea caussa foro.
Salue fausta dies, quâ cæli contigit Ales
Aßiduus lateri duxq́; comesq́; meo.
Salue, quæ patriam nobis, quæ clara dedisti
Stemmata, quæ sanctæ Relligionis opes;
Et teneræ menti virtutum semina, vires
Corporis, & venam præcocis ingenij;
Quin etiam caros, qui me genuêre parentes,
Et qui præceptis instituêre suis.
Hæc natalitio non dantur tempore amicis
Munera, ceu vestes, gemma, toreuma solent:
Sed Pater omnipotens, nutu qui fata gubernat,
Arbitrio, cui vult, diuidit illa suo.
His ego quæ donis sit gratia debita noui;
Quamq́; parum valeam reddere, sæpè gemo.
Corripiunt ideò noctem vaga lumina, somnus
Aufugit, Eoum peruigil hora præit;

Anti-

Antiquos & mente dies, annosq́ue reuoluens
Æternos, agitat tristia corda dolor.
Hinc stant me contra vitæ delicta peractæ,
Et pœnæ poscit Vindicis ira reum.
Inde miserta mei lucet clementia Patris,
Quæ veniâ oblatâ spem iubet esse ratam.
Nempe minor nati impietas pietate Parentis,
Et Cæli superat crimina cuncta fauor.
Parcere plura potest, quàm nos peccare, superba
Sit licet & fragili mens hebetata luto.
Tartara sideribus, summis cupit ima, saluti
Exitium, vitæ posthabuisse necem.
Quamuis est igitur pœnis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.
Hæc animum recreant languentem sensa, reguntq́ue
Casurum, & curis pectora pressa leuant.
Hæc eadem lacrymis implent rorantibus, anno
Siue abeunte mihi siue oriente, sinum.
Hæc me commemorare tibi, iucunde Calani,
Impulit antiquæ nexus amicitiæ.
Fausta, infausta trahunt, est iuncta dolore voluptas;
Pendula Trinacrias temperat hasta dapes.
Erudiunt diuersa hominum discrimina vitam,
Quæ sociant lætis gaudia mæsta malis.

Aspe-

Aſpera poſtremo ferrum dat nomina ſæclo:
Bella ideò terris inſidiæq́ vigent.
Spretus amor, praui mores, patientia læſa,
Laus anceps, mendax gratia, falſa fides.
Has inter Syrtes, infeſtaq́ ſaxa, proteruis
Ludibrium ventis obuia turba ſumus.
Fracta hinc ſæpè malis quærit mens ægra receſſum,
Et profugam alliciunt otia, rura, quies.
Militiæ ſed enim fortes timidiq́ meremur,
Vnum victoris cui moderamen ineſt.
Aduerſis haud flere, minùs gaudere ſecundis
Fas eſt, & ſtabili cernere mente Polum.
Quo nos cumque vocat ſummi Patris æqua volũtas,
Huc noſtrâ felix ſponte ſequamur iter.
Sint priuata homini, ſint publica commoda curæ;
Seu peregrè viuit, ſeu latet ille domi.
Nil petat, aut renuat; propriâ ſed ſorte beatus
Illud agat, quod agit ſedulus ante Deum.
Hæc mihi diuino cantat Saleſius ore;
Hæc tibi tu vigilans excipe dicta. Vale.

LXXIX. IN-

LXXIX.

INSCRIPTIO SEPVLCHRI INNOMINATI,

AD MONITIONEM SOLAM LECTORIS.

Hospes, te passim vocalia saxa morantur:
Adsta, siste gradum, paucula verba lege.
Non te ego sic moror: hinc propera, nec inania quæras:
Non est scire tuum, Quis, quid, vbi fuerim.
Tecum habita, Cælum penetra; sat nosse sepulchrum.
Hinc fuge, mors instat: dum legis, illa venit.

LXXX.

INSCRIPTIO SEPVLCHRALIS HERCVLIS,

PICTORIS MVTI FERRARIENSIS.

MVtus eram viuens; soluo post funera linguam,
Et mecum pariter fit lapis iste loquax.
Heredis munus pia cura hoc præstat vtrumque,
Ni rudis, aut cæcus fortè, viator, eris.
Effigies hominum pinxi velut alter Apelles,
Æmula Naturæ dextera namq; fuit.
Non meliùs dedit illa mihi mea sensa profari,
Quàm docui tabulas nutibus ipse loqui.

Si

Si formas harum ſpectes, & longius æuum;
Me, ſcio, victorem candida fama canet.
Sed me victa necat. Dabis hoſpes viuere rurſum,
Si damnes lacrymis inuida fata tuis.
Hoc vnum extincto ſupereſt ſolamen in vmbris,
Sic placidè oſſa cubant, ſic cinis ipſe. Vale.

LXXXI.

PSALMVS CXXXII.

Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum, *&c.*

EXAMETRO CARMINE REDDITVS.

QVæ bona concordes animos, & quanta voluptas
Ecce manent, habitare fides ſi cogat in vnum!
Non ſecùs Aaronis ſacro de vertice fragrans
In barbam, atque imas deſcendit veſtis in oras
Vnguentum, aut Hermi ros defluit, atque Sionis
In iuga: ſic cælo Dominus benedicet ab alto,
Concordeſq; animos æternâ pace beabit.



LXXXII. SE-

LXXXII.

SEPVLCHRALIS INSCRIPTIO RHYTHMICA STYLO SÆCVLI DECIMI ET CIRCITER.

SIste meis verbis: Hoſpes quid vane ſuperbis?
Ecce tui finis te monet iſte cinis.
Felix quauis ſorte obit omnis gloria morte:
Formam & opes fumus, ſtemmata tollit humus.
Sola duo hæc manes tantùm comitantur inanes,
Et mala vita recens, & probitate decens.
Hiſce Deus Strenam regno, vel carcere pœnam
Dat geminâ, Ite rei, *voce,* Venite mei.
Hæc vltrà immundi ſunt, cetera ſomnia mundi:
Elige an in Cælis, an procul eſſe velis.
Momentum æternùm vel Sidera, dat vel Auernum:
Seu miſer igne peris, ſiue beatus eris.
Nil medium cunctis eſt vitæ munere functis:
Ergo vtriuſque fori dogmate diſce mori.

LXXXIII. P. FRAN-

LXXXIII.

P. FRANCISCO VANDER VEKEN SOCIETATIS IESV. *Coloniam.*

Diem sui ingressus in Monasteriensem vrbem colit, ac lamentatur sanctæ Religionis damna; quorum grauitatem ac Europæ statum deplorans, ad bellum contra Turcas alios animat, sese offert, atque amici Patris preces implorat, Martio mense M. DC. XLIX.

WEstphalicâ Inferni sextũ mihi Saxonis vrbe
Culta dies, Vbijs postquam de sedibus actum
Effrænis modico Rhenus me credidit Alphæ.
Magna dies salue, Phryxei Velleris auro
Successura dies, Iessæi sacra Parentis
Nomine, quem dudum coluit diuina propago,
Virgineæ dum se tenebris exsolueret alui,
Vt genus humanum damnatis tolleret vmbris,
Et patrio secum moriens sociaret Olympo.
Tu mihi culta dies, tibi thura adolebo quotannis,
Infaustam quamuis probrosis tempora factis
Reddiderint; seu quà ferro flammâque Potentûm
Præualuêre manus; seu belli quassa periclis
Pectora quà dubiæ contraria fata quieti
Posthabuêre. Vtinam Cæli non perdere regna

Contingat, dum quemque adeò mortalia torquent,
Æternasq́ue animas & auiti altaria cultus
Sacraq́ue seruandi tenuis vix cura lacessit.
Hæc mea nequicquam, tot iam labentibus annis,
Quà prece quaq́ue minis toto vox intonat ore,
Opportunè instans stimulis impellit acutis,
Importunè agitans torpentes arguit, orat,
Increpat, insinuat diuini verba furoris;
Nocte dieq́ue vrgens omnes, patientia quantum,
Quantum sacra Patrū, ac cæli documenta requirunt.
Talia mortales sed enim surdâ aure repellunt:
Fabula præfertur vero, dementia recto,
Æthereo minimæ punctum telluris Olympo.
Secula venturi damnabunt nostra nepotes
Horrentes, nec tum credent potuisse patrari
Quæ portenta legent calamo commissa fideli,
Si forsan maneant annis monumenta futuris.
Scilicet exclusâ tandem pietate, Regentûm
Consilijs cæcâ nutat prudentia nocte.
Nec terris Pax vera datur, nisi debita primùm
Gloria sideribus diuinum Numen adorat.
Hinc magnis Europa malis gemit vndique pressa;
Exitio vicina ruit Germania discors;
Continuant ambo crudelia prælia Reges;

An-

Anglia supponit Regalia colla securi;
Multiplici quatitur generosus Sarmata bello;
Thracia Cretæo minitatur funera Regno;
Nec tantam durare diu potis Adria molem,
Agmina Christigenûm nisi iuncta ferantur in hostē,
Et fera bárbaricæ confringant cornua lunæ.
Huc puras afferre manus, mixtasq; phalangas
Agglomerare decet. Nostras huc gloria turmas
O vtinam trahat! & frustrà ciuilibus armis
Expiet amissum per tristia bella cruorem.
Huc ego, seu sit opus Neptuni fluctibus, altâ
Puppe sedens; seu terrestri certare duello,
Vectus equo veniam. Cruce dextra micabit inermis;
Lingua sacris armata modis pia carmina fundet;
Fortia felices animabo in prælia fratres.
Audiat hæc miserans summi Regnator Olympi,
Cælituumq; cohors omnis mea vota secundet.
Tuq; adeò, dilecte Deo Francisce, calentes
Funde preces, lacrymis miscens suspiria, nostræ
Ne superent culpæ Diuinæ munera dextræ,
Præpediantq; decus tantum, speratáq; longum
Excidat hæc nostro cælestis gratia sæclo.

LXXXIV.

INSCRIPTIO SEPVLCHRI

RHYTHMICA EX ANTIQVO.

CVra dapum præſes, ſomnoq; ignauia deſes,
Liuor ſe exurens, & ſubitò ira furens,
Elati mores, fucatæ carnis amores,
Quæq; angunt inopes ſemper hiantis opes,
Hîc periêre. Videt mors, atque edentula ridet,
Dum malè cæca metit, quidquid auara petit.
Si vis, hanc hoſpes præuerte, reſurgere ſoſpes:
Quod tua non manus, hoc improba tollit anus.
Hydræ ſeptenos dextra hoſtes ſanguine plenos
Ergo priùs reſecet, quàm Libitina necet.
Sic viues cælo, feriet nec te inuida telo;
Deuictiſq; feris, Æthere victor eris.
Herculis hæ laudes vitiorum euertere fraudes.
Si ſequeris, malè non hæc tibi dicta. Vale.

LXXXV. IN-

LXXXV.

INSCRIPTIO SEPVLCHRALIS MELITAM MISSA FRANCISCO PICOLOMINEO EQVITI PRIORI BAVILÆ, SVB EIVS NOMINE AC TITVLIS MARMORI INCIDENDA.

DIſce mori, quicumque leges hæc marmore noſtro
Scripta: velis animo verba notare tuo.
Vna ſalus ſeruire Deo, ſunt cetera fraudes:
Fac ea quæ moriens facta fuiſſe voles.
Momento æternum pendet. Stat quà cadit arbor:
Ergo diſce, precor, viuere, diſce mori.

LXXXVI.

ADMONITIO AD CARTHVSIANVM.

IMmortale decus, Vates mortalis, in Orbe
Qui petis, & vigili tempora nocte premis;
Falleris illecebrâ fidens vmbratilis auræ:
Nam ſimul ac vox eſt orta, repentè fluit.
Carmina ſi folijs mandas, ludibria ventis
Debes, inſequitur quæ glacialis hiems.
Lit erulis ſi pennam adhibes; exſurgit ad auras
Illa quidem, tractu ſed breuiore cadit.

Si mucrone ſtyli ceris inſiſtere gaudes;
Cerea quæ citiùs fama liqueſcat erit.
Quam tunſum præſtat repetito verbere linum,
Hæc eadem putris iam tibi charta fuit.
Quæ tenues arbor ſecto dat cortice libros,
Heu nimio forſan vulnere preſſa ruit.
Nec membrana tenax animet, quando omine triſti
Cæſæ ouis hæc mortem pallida fronte refert.
Funde preces ergo Superis: hæc ſidera ſeruat,
Hæc tenet æternâ carmina mente Deus.

LXXXVII.

D. HIERONYMO BONVISO CAMERÆ APOSTOLICÆ CLERICO.

Iter Coloniâ Monaſterium vſque Weſtphaliæ M. DC. XLIV. amico mittit, qui illud querebatur ſe non accepiſſe.

MArtius à decimo quartum numerauerat ortum
Solis, & optatos cælo diuiſerat ignes,
VVeſtphalicum ſuccinctus iter cùm Numine fauſto
Ordior, inuectuſq; tuis Roſſette quadrigis,
(Purpureo Roſſette Patrum pars digna Senatu)
Excipior ratibus. Veteris linquuntur Agrippæ
Mœnia,

Mœnia, nunc Vbijs latè memorata Colonis.
Iam minimas Titan ſpargebat grandior vmbras,
Cùm nos læua cito deuectos Zonzia Rheno
Vidit, & obſequijs exploſa boantibus auras
Implerunt tormenta: Patrum ſic iuſſerat ipſe
Et Cleri caput, antiquâ de gente Lothari
Eximius Princeps. Nec eodem diſsita longè eſt
Littore Noueſium mordacis nænia vulgi.
Nuſsia Burgundis annum quæ reſtitit vnum,
Nuſsia Farneſio menſem quæ reſtitit vnum,
Illa diem vim Gallorum non ſuſtinet vnum,
Et nunc Haſſorum conceſſa furentibus armis
Paret adhuc. Ripæ dextrâ ſpectabilis arce
Tollitur vrbs, quondam pagus, cui Duſſela parcas
Affuſus largitur aquas, & nomina donat.
Inclytus hîc regnat Boiorum ſanguine Princeps,
Maieſtate vigens, multaq́; ætate verendus;
Qui celeres ſubmittit equos curruſq́; nec ipſe
Segnior occurrens venientem comiter imis
Excepit gradibus, primoq́; in limine, quartam
Tinnula vicinis cùm turribus æra ſonarent.
Illius imperio iam tum prænobilis Harfe
Miſſus Agrippinam, tanti nos hoſpitis Aulam
Vrſit adire Ducis, mensâque domoq́; potiri.

Hîc stata quæ attulerant cineres ieiunia sacri
Excusant cœnam, tenuesq́ue in corpore vires
Conciliant somnum. Alternis sermonibus aptum
Manè datur; cantus,& multo prandia potu,
Lustrataq́ue ædes, vrbs, & munimina valli
Eripuêre diem: tum primâ luce sequentis
Cedimus; ad nauem Princeps deducit euntes.
Afflabat leuis aura comes; sed turbine cælum
Vertitur: exsurgunt fluctus, clausâque fenestrâ
Cogor ab iratis memet subducere ventis,
Interiore latens fundo: nec Cæsaris vsquam
Insula, Germanis Keiserswerth, *margine dextro*
Visa; nec est Rurord, *quà Rhenus gurgite vasto*
Ruræ sorbet aquas. Montano à Principe pignus
Illam Agrippinæ Præsul tenet; Hassica vis hanc
Possidet. Orsoiæ læuo iacet aggere castrum
Principis Auriaci. Auerso molimine nautæ
Conducunt iumenta, ratem quæ pectore prono
Iuncta trahant, Bergæ Rhenanæ mœnia versus,
Et quà præsidio VVesalia tuta Batauo
Ostentat validas arces. Hîc stertere noctem,
Mox rhedas aptare datur,currusq́ue, meamq́ue
Lecticam, medioq́ue die discedere; & vmbras
Cùm nox obscuro diffunderet humida cælo,

Tan-

Tangere Dorstenam, quam Luppia diuidit vndans,
Quæq; hilaris facibus, tonitruq; admisit inermi.
Sed muralis honos, caua quo nos æra salutant,
Vulnerat assuetas Musarum cantibus aures.
Illa tamen repetit Præses bellator eunti
Officia inuito, postquam recreata sopore
Membra satis, caligasq; suas ocreasq; madentes
Quisque sibi multam in noctem siccauerat igni.
Improba confuso tempestas mixta sereno
Et dedit & siccauit aquas. Dum proximus axi
Iam Phœbus medio dubios effunderet ignes,
Vrgeretq; fames, parcis ientacula mensis
Halterena dedit; sed equis bona pabula largus
Rusticus apposuit, fœniq; ac diues auenæ.
Nec mora, turbato cælo perreximus vltrà,
Vndantesq; vias pluuijs, stagnantiaq; arua
Emensos, rursum madidos lassosq; nitente
Sole Ludinghusæ statio miseranda recepit:
Hæc tamen Haßiacis armis tentata potenter
Restitit, & superest proprio sub milite tuta,
Insignis templo, & paruâ spectabilis arce.
Cœnati modicè fessos componimus artus.
Dum Phœbus nitido disiectis nubibus ore
Clarior affulsit, lento nos pergere gressu

Malumus; atque ideò fumosa mapalia fortè
Ingreßos, mixtosq; boui, desecta nigrantis
Mucida nos iuuit panis consumere frusta,
Quem Pompernikel *appellat VVestphala pubes;*
Vix cibus agricolâ dignus nudoq; popello.
Ad quartam nobis rhedæ, quas Cæsaris vltrò
Et Galli Regis Legatus miserat (ingens
Memmius hic Comitum decus, alto nobilis ille
Stemmate Nassouici generosus sanguis Adolphi)
Occurrunt, equitesq; simul, ciuesq; frequentes.
Bellica dum tormenta vomunt incendia, portam
Ludgeri ingredior; miles longo ordine vtrimque
Per fora, per plateas plaudit crepituq; tubâque;
Et plausum clamore vago turba obuia complet.
Vsque adeò Pacis post horrida bella cupido
Te Mimigarda tenet, sanctâque à Sede vereris
Legatum, qui discordes in fœdera tandem
Restituat Reges. Pergo hinc ad claustra Minorum:
Obuia signa crucis spectans descendo, piosq;
Exequor amplexus, & cernuus oscula figo.
Tum subeo templum, summamq; acclinis ad aram
Diuinum veneror curuato poplite Numen,
Ingeminansq; preces, postquam data signa salutis
Affusum in populum, cogor captare quietem,

Tædiaq;

Tædiaq́; ærumnasq́; viæ releuare sopore.
Sex abiêre dies, Vbijs queis tecta Coloni
Liquimus, & Mimigarda tuæ successimus vrbi,
Nunc rate nunc curru vecti. Pars cessit amœnis
Colloquijs, pars diuinis impensa viarum:
Namq́;, Deo grates, Sacris operatus ad aram
Quoque die, sic orsus iter, sic claudere tandem
Incolumis volui, primasq́; impendere Diuis.
Nunc age, susceptos ob nostra silentia questus
Pone lubens; exsoluo fidem, promissaq́; trado
Carmina, descriptamq́; viam: tamen ista monendus
Es mihi, non veterum signari tempora ritu,
Quæ rapit occumbens duodenis Cynthius horis;
Qualia sed iuncto censet Germania Gallo;
Quæ mihi, quæq́; tuæ precor esse optata saluti.



LXXXVIII.D.LV.

LXXXVIII.

D. LVCÆ HOLSTENIO
CANONICO S. PETRI. *Romam.*

Iter Monasterio Westphaliæ Aquisgranum anno M.DC.XLIX. in ipso itinere scriptum in pugillaribus.

HVnc etiam lectica velis lenire dolorem:
Tu mihi Musarum stimulos, tu carminis æstum
Sufficis, & docti celebratum numinis antrum
Clausa refers; tua nec Phœbum cortina fefellit;
Tu curas animo, tu tædia longa viarum
Abstergis placido per amica silentia raptu.
Eia age, da numeris rursum brumale paratis
Scribere iter, quodq́; & cupidis recitetur amicis,
Et versu non ficta canat, permixta iocosis
Seria connectens, vario discrimine rerum,
Et pugillares placituris compleat actis.
Septima iam lento gressu diffugerat æstas,
Ex quo VVestphalicâ Pacem sectabar in vrbe
Tot Legatorum medius, quot maximus Orbis
Contulit Europæ, quos mens diuersa coëgit,
Mens rursus diuersa suas reiecit in oras.
Nam votis frustrata suis Germania discors,
Iurato quamquam strinxisset fœdere dextras,
Norica tecta nouis complebat mæsta querelis;

Et

Et Regum amborum Proceres abière relicto
Concilio, & cæptæ rupère negotia Pacis.
Tantæ molis opus Pax est, vbi Martia Gentis
Pectora dißidijs semel incaluère cruentis.
Tunc spe delusum tandem, postremus vt Alpham
Desererem sancti indulsit clementia Patris,
Permisitq́ auras alibi captare salubres.
Sed pluuiæ, & varij tentantes viscera morbi
Protraxère viam, dum iam brumalibus horis
Flecteret auricomos spatio breuiore iugales
Cynthius, & tardas noctis produceret vmbras;
Gallorum extemplò cùm Regis epistola venit,
Et me colloquijs Pacis cupit esse sequestrum,
Quæ Mazarinus sacro spectabilis ostro,
Atque Comes Peneranda ineant; vrgetq́ remotâ
Posthabitâ vt regione, celer vestigia flectam,
Quà vaga finitimis sociantur Lilia Belgis.
Ergo Syracusiæ lux consecrata Puellæ,
Tertia post decimam quam fert aurora Decembris,
Suasit itèr Mimigarda tuis è mœnibus oram
Australem versus, quà concitat Africus imbres.
Præcedit Tubicen, conductaq́ plaustra sequuntur;
Pars famulûm sublimis equis, pars altera rhedâ
Vectatur: namq́ vrbanam traxère iugales

Tres

Tres vacuam, ſeni (melior quo clauſa ſupellex)
Exagitant currum geminâ pelle vndique tectum.
Abnueram feſtos plaudentum admittere bombos,
Quandoquidem ſanctæ Fidei noua damna dediſſet
Vana ſuperſtitio, diris onerata, meâque
Deteſtata manu; quæ ſacris cauſſa repentè
Abſcedentem aris, lecticæ in ſedibus abdit
Orantem Superos, & fortunata precantem.
Sed repetis Franciſce tuis Guilielme lacertis
Complexus, magnus Boiorum ſanguine; ſed quem
Maiorem virtute canent venientia ſæcla,
Sit Mindæ Verdæq; licet prærepta Tiara
Vi Martis, nec adhuc patrem Oznabruga ſalutet.
Poſt vallum armorum Præſes mihi dicit amicum
Supremumq; vale: magno tormenta boatu
Bellica diſceſſus populo tum ſigna dedêre.
Maturamus iter, niſi quà vada cæca morantur,
Inuitoſq; tenent cænoſa obſtacula currus.
Vidi ego, cùm medijs fractus pons falleret vndis,
Et raperet veſtes & doctæ Palladis arma,
Credita robuſto plauſtro; vis iuncta virorum
Erigit, & rurſum limo defixa tenaci
Eſſeda conſpicio, donec labor arſit equorum,
Et vix bis ſeni pariter traxêre iugales.

Iam

Iam breuis occiduas Sol inclinauerat horas,
Et medium restabat iter, multoq́ peracto
Deterius: latè paßim stagnantia riuis
Prata iacent, dudum nullos experta ligones,
Nec nauem passura. Galen hîc obuius vnus
E dominis summæ Mimigardâ venerat ædis,
Queis sacri præbent canones venerabile nomen.
Ille Ludinghusæ lunâ rutilante recepit
Sedulus hospitijs, ac multo comis honore.
Posteà per medias iterùm via cœpta paludes,
Quam tandem egreßi, siccis vectamur arenis;
Improuisus adest recto cùm tramite Præsul
Fortè Sebastenus rhedâ, nostrosq́ serenus
Currit in amplexus. Quatuor tum millia mensos
Excipit Halternæ dapibus nos Prætor, & hospes
Ipse suâ nitidus populo de lance ministrans
Ex æquo Imperij leges, & iura culinæ.
Cedenti comes ire cupit; sed amica volentis
Cura satis, tali grates pro mente rependi.
Hinc via Dorstenam capta est, quam tertia noctis
Hora dedit: portam sed tactus labe Lutheri,
Cæsareus quamuis Vbiorum Principis vrbem
Obtinuit præses, tardo molimine pandit,
Viscera causatus misero districta dolore:

Seu

Seu tamen hic morbus fuerit, ſeu tarda voluntas,
Obſequio verbis prompto mox ſedulus orat,
Vt mea nocturnis tacitum det teſſera ſignum
Excubijs: promptum delati munus honoris
Abnuo; morbòrumq́; aliquam ſubmitto medelam.
Manè aderat ſanus, meq́; extra mœnia duxit.
Stagnantes iterùm colles, nemoroſaq́; latè
Ac ſterilis tellus transfert ad clauſtra ſacratis
Virginibus culta: at clauſis nos vndique portis
Hoſpitio prohibent, precibus pretioq́; rebelles.
Vulgus inhumanum putri de nomine ſemper
In Sterkenroden toto memoraberis Orbe.
Progredimur triſtes, Æmſuri flumina donec
Sublicium pluuijs auctis ſuperantia pontem
Tranſmittunt vacuæ rhedæ, ac lectica natantes:
Nos ſequimur cymbâ, & Phœbo Mulhemia tecta
Tangimus occiduo. Vicinæ ſubiacet arci
Pagus, vtrique Comes dominans, inuitat vt ædes
Ingrediar proprias: dederam ſed lumina ſomno,
Quem crebrâ exagitata manu teres antlia turbat.
Tum matutino diſceſſum prorogat imbri
Phoſphorus, inq́; diem tenebras extendit inertes,
Et rapidis tum Rura fluens excreuerat vndis,
Solaq́; traiectum dabat vni cymbula plauſtro,

Haud

Haud remi patiens, tenui ſed torpida conto:
Illa vices igitur repetens, nos ordine portat
Littus in aduerſum, tres colluctata per horas.
Obuius hîc Comes, & magnâ ſtipante cateruâ
Dat dextram, dapibuſq; inſtat recreare paratis:
Sed properare iuuat, dum Phœbus & aura fauebant.
Arua per & ſaltus repens bis ſtagna natauit
Lectica, & bis plauſtra luto rhedæq; profundo
Merſæ obluctantûm ruperunt pectora equorum.
Hinc VValinckhuſæ firmas tranſiuimus ædes;
Et iam vicinis è turribus æra ſonabant
Tertiam, vt ad Rhenum nos Cæſaris inſula cepit.
Flanſius occurrit nobis, qui præſidet vrbi,
Impiger officio, Bauari præcepta ſecutus
Principis. Hic varijs decoratur tempora mitris
Fernandus, ſupplex domito cui Legia Moſâ
Paret, & ingentem regina Colonia Rhenum,
Et Paderã Padiborna, Amaſim Mimigarda, Cheruſcos
Hildeſia antiquos latâ ditione gubernat.
Excipit ergo tonans diſploſis vndique belli
Tormentis nos Verda ſuis, ſtrepituq; tubarum,
(Verda diu terris Suiberto clara, priuſquam
Diceret ipſe ſuo Fridericus nomine Cæſar)
Hoſpitioq; fouet, dum Diui manè ſequente

N *Ante*

Ante aram Sacris operor, quem tertius olim
Adſcripſit Superis Leo; ſic quia magnus ibidem
Carolus expetijt, præſens cæleſtia ſancti
Mirans geſta Patris: populo ſpectante ſub ipſos
Namq́ ferunt hymnos, incenſaq́ thura beatis
Oßibus, illuſtrem Soſelinum ad munera vitæ
E tenebris lethi reuocatum, gurgite poſtquam
Quindenis hauſtum Rhenus ſubmerſerat horis,
Paruulus aduerſo cùm Xantho flumine Verdam
(Caſtrorum veterum mutauit nomina Xanthum)
Spectatum celebris properat ſolemnia Diui.
Sic Cælo & Muſis carus, ſenioq́ verendus
Kempenſis docto referebat Vilmius ore.
Hinc ego quà tenuis miſcetur Duſſela Rheno,
Mitto ſalutatum VVolfgangum Heroa, Ducemq́,
Atque Palatinum Comitem. Rogat ille, vicißim
Legatum mittens, oblatâ vt perfruar Aulâ.
Abnuo; ſed grates reddens, mihi nempe legendum
Feſtino cauſatus iter glaciale: datamq́
Poſt requiem feßis, & pabula larga quadrigis,
Milite defenſos placuit præmittere currus.
Aurorâ ſurgente, citi ventiſq́ ſecundis
Tranſuecti fluuium, ſeptem delabimur horis
Vſque Eltzen Equitis Reuſchenberg Teutonis arcem.

Ipſe

Ipſe hilari, quamuis morbo diſtentus acuto,
Excipit ore tamen, facileſq́ accommodat ædes.
Adfuit hîc nobis comitatum miſſus ab arce
Iuliaci clarus miles: quin luce renatâ
Cùm medium ſuperabat iter, ſelecta Draconum
Turma equitum effuſis velox occurrit habenis;
Atque audiſſe refert Lotharingos agmine facto
Ad Moſam, Stephani quà ſurgit Verda, fluentum
Tranſmiſiſſe, minis precibuſq́ hyberna petentes
Inſultare agro. Patrijs extorris ab oris
Miles hic infeſti perfert incommoda Martis,
Afflictiſq́ infert populis, certiſq́ fugatus
Sedibus, infames ſpolijs traducere brumas
Cogitur; & paribus concurrere viribus impar
Gallorum metuens, Hiſpanis iungitur armis,
Cùm pugnæ redeunt & florida tempora veris.
Nil tamen hæc nobis metuendum nuntia ſuadent.
Inceptum tentamus iter; cumq́ hora notaret
Tertia decliuem cæli de vertice Solem,
Iuliacum ſubiens, multis cùm machina bombis
Bellica perſtreperet, me Patrum ad clauſtra recepi,
Quos à Franciſci Fratres dixêre cucullo.
Turrius hîc Gabriel Regis moderatur Iberi
Arma pius, fortiſq́ manu; qui teſſeram & ipſe

Obtulit, atque vrbis claues, & iura, dapesq́ꝫ.
Hunc lecto affixum visens, cruce fausta precando,
Consortemq́ꝫ thori ac sobolem mea dextera signat:
Ipse mihi clemens Italis ex arce duobus
Indulsit profugis vitam, veniamq́ꝫ petenti.
Post noctis placidam requiem, de more solutis
Antè Deo Sacris, ortâ iam lampade Phœbi,
Traÿcio Roræ pontem, concretaq́ꝫ duro
Arua gelu: nam strata rotis stant inuia equisq́ꝫ,
Imo quà dudum defluxerat orbita fundo.
Transimus lento tecta Aldenhouia gressu,
Complanantq́ꝫ vias impreßi sæpè ligones.
Zurvviden vacuo diffugerat incola pago,
Lottharios metuens: glacie quà stricta nitebat
Semita descendo, repto pedes, improba motu
Frigora discutio membris: viduata colonis
Vndique tecta suis, Horniq́ꝫ suburbia cernens,
Sexdenos equites, nostri tutamina cursus,
Iuliacum grates referens munusq́ꝫ remitto.
Et noctis tenebris, dum mœnibus æra boarent,
Tectus Aquisgranum ingredior, templumq́ꝫ Ioannis
Baptistæ subeo; feßis vbi dulce leuamen
Augustine tuis dat sacra nepotibus ædes;
Et finem nostro fert lux octaua labori.

LXXXIX.

DE PLVVIIS MONASTERII VRBIS.

Bernardo Rottendorffio Archiatro ſe excuſat, & rationes affert cur illam vocauerit Patriam nimborum; incolarum mores ex occaſione deſcribens, & per iocum carpens.

NImborum patriam quòd te Mimigarda vocaui,
VVeſtphalicæ telluris honos (iniuria verbo
Abſit) parce precor. Iam ſextus voluitur annus,
Expertus loquor, aßiduo quòd te imbre madentem
Inſpexi, & plures numerantem ſæpè Medardos,
Qui bis vicenis purgarent feſta diebus
Continuis pluuijs. Agit id clementia cæli
Obſequijs intenta tuis: ipſe humidus æther
Scilicet effundit ſitienti pocula terræ,
Fæcundatq; agros, & magno fænore ditat:
Quo ſine nec ferrent ſabuloſi gramina campi,
Nec lætas ſegetes; & inhoſpita terra iaceret,
Et ſteriles ſicca volitarent littore arenæ.
Tum procul aufugiens pingues migraret in oras
Ruſticus, vt plenâ penſaret meſſe labores.
Hortorum hinc omnis pereat cultura neceſſe,
Nec tanto ſpatioſa vrbis pomæria gyro

Extendant ſeſe, vireantq́; halantibus herbis:
Hîc piſum aſcenſu ſerpens, molliſq́; faſelus,
Et betæ, & raphani, lactucæ, rapula, maluæ;
Hîc faba præcellens alijs (nam copia maior
VVeſtphalico ſeritur ciuiq́; hirtoq́; colono)
Vix ſata diſpereat; nec paßim liuida ſurgat
Braßica, quæ longâ perſtat non territa brumâ,
Vnà homini ſua dona, bouiq́;, ſuiq́; miniſtrans.
Tunc arens & vilis hero quid præſtet agellus?
Quîve inculta manus formident iugera furum?
Tum fruſtrà ad portam MauritI machina furta,
Supplicium ſonti, foſſæ de ponte moretur.
Antenna obuerſa hîc elato ſtipite fixa
Cernitur, & firmo refluens verſatilis axe:
Illius extremo, quod multò prominet auris
Longiùs, è cornu cauea ingens ferrea pendet:
Clauditur hac fur, & contracto corpore nudus
Ludibrio, & pœnæ damnatus penſilis hæret:
Protinus erigitur, breuius cùm preßit ad ima
Cornu aliud validus populo ſpectante ſatelles,
Extemplò demißa ruit cauea impete multo
Subiectas in aquas. Rigidi mandata Senatus
Vſque adeò furem deprenſum in crimine plectunt,
Qui caules modicos alieni fregerit horti.

Nempe

Nempe alia hinc absunt irritamenta malorum:
Non hîc Eoæ flores regionis alumnos
Exquiras, non Alcinoi pomaria Regis,
Luculli nec delicias, nec Apolline lecta
Fercula: nam luxus & inania munera damnat
Mascula VVestphaliæ proles, & fortia bello
Pectora; securâ miscent olus omne patellâ,
Cæruleum flauo panem lęuisse butyro
Contenti, & festis petasonem efferre diebus,
Siue sub Autumnum fumo siccata nigrantis
Terga bouis. Potum dant hordea putrida flammis
Cocta; lupi florem quòd si miscebis amari,
Nectar erit: vulgi de nomine Keuta *vocatur*
Illa, sed hanc Birã *dicunt. Gens VVestphala* Keutam
Sola bibit; sed Bira *procul diffusa, Latinè*
Omnibus est nota Arctois Ceruisia *terris:*
Vnus enim prohibetur aquæ (quis crederet?) vsus;
Et scelus est puris fauces perfundere lymphis.
Rari vina bibunt peregrè magnoq; coëmpta;
Queis vndas miscere nefas, & sanguine veri
Teutonis indignum. Facinus qui tale patrarit,
Degener extremis mundi miser exulet oris;
Audax nec tentet gressu remeare profano
Nimborum in patriam, quam te Mimigarda vocaui.

XC.

ITER AQVISGRANO TREVIROS, ANNO M.DC.L.

D. Athanasio Rodulphio, qui auctori comes fuerat itineris & scriptionis.

TYndaridum extremo fulgebat sidere Phœbus,
Et vix octauam gnomon transmiserat horam,
Cùm Grani digressus Aquis, venturus ad vrbem
Augustam Treuirûm, primo subsistere gressu
Cogor: nam subitò rhedam quæ sustinet ansa
Rumpitur: hanc Horni iuuat è fornace recentem
Cudere, difficilemq; morâ suspendere cursum,
Dum noua flammiuomi renouant incendia folles,
Malleus & multâ resonans incude laborat.
Pergimus ad dextram, tenui quà turbida VVurmo
Strata fluunt, cliuumq; agiles superamus. Aquensis
Hic Regni limes marcescit lignea turris,
Æra super campana tenens, quam nominat Hupper-
Lutteride agricola, in sterili quòd pascitur orâ.
Tum nemora emensi latè, pluuijsq; madentes
Helchrati pagum, & cultos inuenimus agros;
Nec non VVesuiller, multus quà fossilis antris

Erui-

Eruitur carbo: hinc Languel transiuimus ædes
Militibus plenas Suecis; dextraq́ Merodam
Surgentem tumulo, Roramq́ ad saxa sonantem.
Et Marcodurum quintâ peruenimus horâ,
Quæ (si certa fides) ab Agrippâ condita, nuper
Vrbs belli perpessa minas, varioq́ subacta
Milite, nunc tandem proprij mandata capessit
Iuliaci Ducis. Hîc Martini templa subimus,
Atque caput magnæ Matris veneramur ad aram,
Quâ Genitrix est nata Dei, Virgo integra culpæ.
Maneq́ post quintæ pulsum, examenq́ viarum
Quæ melior; Bopplen venio, villamq́ Iacobi,
Et VVis, & Zullick, Tulpetum voce Latinâ
Oppidulum insigne; Hassorum sed Marte crematum.
Kersenicum, pagumq́ Fail transiuimus inde:
Læua nitet Zibel, Lessenick dextra videtur,
Nobilium turritæ ædes; siluisq́ relictis,
Et VVachtendorfo, lapidosi ad culmina montis
Repsimus; & subitò gelidum descendimus Erue,
Romanæ pater historiæ, quem Liuius olim
Dixerat Erponem: depressâ mœnia surgunt
Valle Monasterij fecit quibus Efflia nomen.
Hîc pransus medio cùm Sol deflecteret orbe,
Eximium Rayum veterem complector amicum,

Et vinum dextramq́ʒ ſimul dat Conſul vterque.
Tertia nos iterùm montanis reddidit aruis,
Quà noua pendentis cernuntur vulnera Chriſti
Sacrilegâ iaculante manu inſultantis alumni
Caluinâ de fæce; pari quem vulnere Numen
Suſtulit, in mediâ quamuis legione lateret,
Illæſis ſocijs, pœnamq́ʒ probantibus æquam.
Progredimur gelidæ nubis comitantibus vmbris.
Semoto ad læuam iacet Arembergia colle;
Et Blankenhemio ſextâ ſuccedimus horâ:
Arx vetus, & munita ſitu eſt, vaſtiſq́ʒ recurua
Mœnibus: huc Vbijs quondam Treuiriſq́ʒ leguntur
Aduecti lapides, titulis monumenta vetuſtis.
Illuſtris tum fortè Comes diſceſſerat arce;
Sed cuſtos aderat, vinoq́ʒ ciboq́ʒ refectis
Dalemium præmonſtrat iter. Vada proxima Gelbis
(Nunc Kil, *vnde trahit mutatum* Kilia *nomen)*
Obijcit, atque humili deuoluit tramite lymphas.
Hìc & aquas demum, colleſq́ʒ reliquimus altos.
Fortè canes iuxta venantes ſponte vagantur
Curarum vacui; leporem alter nare ſagaci
Terret, & alter ouans aſſultu præpete carpit,
Intactumq́ʒ iacens menſæ conſeruat herili.
Vndique deſertas terras poſt terga Cronenburg

Vidi-

Vidimus; & Gosem: tum velis fortè reductis
Lecticæ, ramis nemorum loca densa subimus,
Et steriles Ruiti campos, fuluasq́; genistas.
Fons acidas medio lymphas è colle ministrat
Hanendorfa tuo, quem cælo prodigus imber
Auxit, & effusis in nos laxatus habenis.
Hinc sese obscurâ prodit conualle latentem
Prumia diues opum: (riui quæ nomine gaudet
Pronææ) soboles Benedicto sacra parenti
Cæsare Lothario celebratas incolit ædes:
At Treuirûm Princeps iam dudum præsidet Abbas.
Difficili ascensu in summas hinc nitimur oras,
Et feßi quamuis, superamus culmina rupis
Abruptæ; cùm iam decliui tertia motu
Solis ad Occasum labentis vergeret hora,
Præsulis hac requiem Treuirensis carpsimus arce.
Surgit inaccessum sublimi vertice saxum,
Et Nemesæ rauco vallem premit amne sonantem;
Sconeckam dixêre, diu quæ intacta periclis,
Vicinos hinc inde agros miserata colentûm,
Seruat opes patriæ, tenuisq́; & curta supellex
Illuc aggesta innumeris occluditur arcis.
Postera lux vires reficit; sed nubila cælo
Eripiunt medio lucem, nimbosq́; reducunt:

Digre-

Digredimur tamen, & ſiluas & ſaxa terentes.
Vt primùm Neidbach patuêre cacumina collis,
Audimus gemino ſignum clangore tubarum:
Namq; Oratores Treuirenſi à Præſule miſsi
Occurrunt, ſimul obſequijs deducere prompti,
Et monſtrare viam, lætaſq; exſoluere grates.
Crazius illuſtri Comes alter ſanguine clarus,
Alter Anethanus calamo facundus & ore.
Malburgum petimus ſaxoſo hinc tramite multum
Luctati; quintâ Kilburgum aſcendimus horâ.
Nocte breui placido recreamus corpora ſomno.
Lux ſacra Baptiſtæ cæptos ſuaſura labores,
Malburgum, vicumq; vltrà, colleſq; patentes
Vexerat: intereà clauſis lectica feneſtris
Conciliat tacitè ſparſum per membra ſoporem:
Sed placidam leuis auertit fortuna quietem.
Nam propè Bitburgum (Bedam dixêre Latino
Nomine Maiores) conuulſus frangitur axis;
Conductoq; ideò vectatur ſarcina curru.
Hîc latebris lepus ecce ſuis prodire coactus
Cernitur ire fugax: infeſtus Oribaſus illum
Sectatur; prædam hic, pedibus petit ille ſalutem.
Heu quoties ſe ſternit humi, quotieſq; recedit
Obliquans modò cautus iter, modò teſqua ſecutus!

Non

Non tamen à tergo instantis rapida ora fefellit,
Et miser occubuit totâ spectante cateruâ.
Fanum Helenæ (sic hospitium dixêre coloni)
Venimus vndecimâ, spoliatum à milite sacris
Vestibus; infandum! non ipsis dira sepulchris
Abstinuit manus. hac Superis nos æde litamus;
Et pransi satis, ad pulsum properante secundâ,
Digressi, octauâ Treuirorum attingimus vrbem:
Nam gyro maiore rotis via lecta ferendis
Longior, aduersi quæsito ponte Mosellæ.
Murorum tormenta boant; vexilla, tubæq́;
Præcedunt: ego Martini peto nobile claustrum.
Hæc tibi dicta velim, curarum dulce leuamen
Atque viæ, insignis genere & pietate Rodulfi.
Carmina sume libens quotquot signata diebus,
Et relegens his rursus iter metire, iocosq́;.



XCI.

ITER TREVIRIS AQVISGRANVM, ANNO M.DC.L.

AD FLAVIVM NEPOTEM.

Care Nepos, Italis nuper spectate sub oris,
Nunc patrio digresse polo, Senisq; relictis
Germanas visure plagas; hæc prima laboris
Cura tui, cautus quondam seu fecit Vlysses,
Et mores hominum multorum cernere, & vrbes.
Si comes ire mihi gaudes, fac longa viarum
Tædia Musarum dulci modulamine fallas.
Pauca notare iuuet, faciliq; expromere versu,
Et memori pugillares describere plumbo:
Illa senex repetes, & lætâ fronte reuolues.
Post IulI decimam Phœbi lux quarta nitebat;
Martia festiuo cùm mœnibus æra tumultu
Mugirent. Proceres, Materni cætus, ad ipsam
Comiter adducunt nauem, sua dona ferentes
Antiquos Bacchi Latices. Vehor amne secundo,
Diruta vicini miseratus tecta PalatI,
Impeteret quondam cùm Brandenburgicus armis
Albertus, primo Lutheri de grege princeps,
Romanæ fidei mitras; sanctoq; Tridenti

Con-

Concilio abscedens, ideò ad sua regna rediret
Præsul Isemburgi proles generosa Ioannes.
Prandemus celeri scindentes æquora remo,
(Æquora longinquos vltrà Garamantas & Indos,
Nobilis Ausonij doctis audita Camœnis)
Vitibus oppletas ab vtrâque crepidine montis
Mirati rupes, fecundaq; saxa Mosellæ;
Quem rapidus Gelbis, quẽ marmore clarus Erubrus,
Et Salmona suis adlambit vitreus vndis.
Hinc diui Constantini victricia castra
Nouomagum præteruehimur, tenuemq; Drachonum
Et Lesuræ riuum; cùm vertice fulminat alto
Arx, quæ subiectæ tutatur mœnia ripæ,
Berncastel vulgò, Castrum quæ dixeris Vrsi.
Hospita quæ surgunt aduerso margine tecta
Templaq;, suscipiunt venientem; hæc maximus olim
Purpureo fertur Præsul fundasse galero,
Proxima quem cancri piscatrix Cusa creauit.
Vix patitur fragor hîc noctem requiescere, potu
Vsque adeò conuiua frequens orare salutem
Nititur, & comiti explodens tormenta propinat.
Ædificare domum, superasq; educere ad auras
Cernitur hic senior, propior fortasse sepulchro.
Maturo abscessu, Grachum, VVellenq; videmus,

Zeltin-

Zeltingam, Macherenq́; pijs vbi claustra dicata
Virginibus, nec non Trarbachæ nobilis arcem;
Et Starkenburgi propè diruta tecta furenti
Bellorum flemus rabie, Burgumq́; Mariæ
Spectamus, Cellæq́; sacris aduoluimur aris,
Lautaq́; congesto recreant nos prandia pisce.
Ripa eadem seruat Merrel, pia claustra Minorum;
Stat læuâ Chempt, & riui cognominis Alffa,
Bolleg, Santaliæq́; ædes, & Nefa, Bremumq́;.
Hîc cymbâ præcurro celer, quà templa nitescunt
Augustine tuis Vestalibus inclyta. Post hæc
Apparent curuo pendentes littore villæ
Innumeræq́; domus, & amica cacumina Baccho;
Et tonat arx summo Beilsteinæ culmine: sed mox,
Dum ferrum flammasq́; vomit, ruit acta deorsum
Machina sponte suâ, plausu mixta atque fragore.
Prætereo multos iterùm sine nomine vicos,
Aggere conspicuos in vtroque. Cochemia tecta,
Oppositum dextrâ Conum spectantia ripâ,
Hinc cœnam somnumq́; ferunt. Lux postera nobis
Ostendit Clotten, Treis, Carden, flumen & Eltzæ,
Et Kern, & Borgem; tenui quà fortè phaselo
Transiliens, prædis inhiantem littore turbam
Increpito, ac nauem repetens data fercula sumo.

Intereà

Intereà miseræ belli patuêre ruinæ
Bischoffstein, *& quæ Leianæ stirpis origo*
Fundatas tollit petrâ cognomine turres,
Et domat iniectis iratum molibus amnem,
Leia recens geminis Treuirorum clara Tiaris.
Aura subinde calens nemorum lustrare recessus,
Et fontes acido gratos haurire sapore
Suaserat: hîc gelido demergitur amphora fundo,
Amphora quæ Bacchi latices complexa tenebat;
Illa sed impatiens ignoti frigoris, vltrò
Rumpitur, & liquidis confundit pocula lymphis.
Pergimus, & Rheno quà confluit vnda Mosellæ
Prouehimur. Mox aduerso de culmine surgens
Hermensteina minax centum muralibus aures
Tormentis complet, lato dum credita Rheno
Nauis abit nostra, & spatio maiore pererrat.
Ostentant dextræ se ripæ parte Noëndorff,
Vallendorff, Zolengers, ac surgentia Vedæ
Tecta nouæ, Erbichũ simul, Ambachiumq́; patescunt,
Atque Antunnacum læuâ. Hîc ego pransus ab aurâ
Dum metuo incertus, laxatis Eurus habenis
Ingruit, impellitq́; ratem, retrahitq́; morantem;
Dum longo subeat conamine littora Brisich,
Ac tormenta suis Lotharingi bellica muris

Diſplodunt, reſonatq́ue graui Hammerſtena boatu.
Hactenus aduerſos remis impellere fluctus
Aſsiduus labor, & pagorum dura referre
Nomina, quà flexo circumfluit amne Moſella.
Huc vſque obſequijs Treuiris comitatur amicè
Me VValderdorffus, Procerum qui nomine miſſus
Quos Canones ſignant. Reddo pro munere grates:
Et ſubitò Bonnam mitto, qui ferre ſalutem
Fernando valeat Bauaro, qui dolia vini
Nauigio Agrippæ tutam tranſportet ad vrbem.
Nunc iter eſt terrâ, Treuiris nam noſter equorum
Venerat huc ductor, breuibus montana capeſſens
Paſsibus arua prior, ſed grandibus aſpera ſaxis.
Sex plauſtrum totidemq́ue trahunt trino ordine rhedã;
Bini lecticam vectant, biniq́ue ſequuntur,
Ac lateri aſsiſtunt: præcedit turba viarum
Ruſtica ductores, famuliq́ue, tubæq́ue caneſq́ue.
Obuia Sintzigij, Sunicis habitata vetuſtis
Mœnia, & ingenti tranſimus ponte ſubactum
Abrincam, qui nomen Aræ nunc obtinet, olim
Terminus & ſuprà Germanis dictus & infrà.
Hinc via difficilis per deuia collibus arua eſt:
Ad læuam tumulo ſurgit Lanſcrona ſuperbo,
Arx memorãda diu venturis inclyta ſæclis.

Cepe-

Ceperat hanc Suecus miles; nec pellere contrà
Cæsarei poterant, anus imperterrita pœnis
Egregium meditata dolum cùm dedere cogit.
Vnus erat potum sitientibus arce ministrans
Effossus summâ puteus, situlæq́; profundum
Vix longo geminæ poterant haurire liquorem
Fune: hunc illa secans fundum deiecit ad imum,
Cæsarea ac sese victrix in castra recepit.
Non procul à dextris Chrilon patet, atq; Piderstorff;
Cùm lepus ante pedes, ipsoq́; in tramite nostri
Præda canis iacuit, quò Leyen nobilis ædes
Vrget adire suas: sed enim tam longa viarum
Tædia condemnans, oblato gratus honori,
Aruillam læuâ tendo, Rinstorffia dextrâ
Linquitur; & Reimbach Sacris de more peractis,
Et satur, Eruatis traiecto flumine, demum
Euskircham venio; titulis delubra vetustis
Quà spectare fuit, pictam & ridere tabellam.
Post ortum Phœbi seiunctis ædibus omnes
Dispersi, ad cœtum nostri iunguntur eumdem.
Tum VVitternichi riguas transmittimus vndas,
Et Marcoduri solemnibus adsumus Aris.
Hîc vbi Musarum studijs addicta iuuentus
Carminibus dicens alternâ voce salutem

Excipit, à mensâ abſcedo; tum nube ſolutis
Decidit imber aquis; acceßit Rura, viæq́;
Conſertæ pluuijs, & cæno pænè latentes
Lecticam rapiunt: ſed dextra repentè clientum
Adfuit, & medijs luctantem ſuſtinet vndis.
Languelum Suecis vacuum ſpectamus, & vltrà
Abductos Moſam, audimus vexare paratos
Agricolam, ni promißum graue penderit aurum.
Infandum, miſeræ ſtipulatum fœdere Pacis,
Immani quo ſe redimit Germania lytro!
Vitrea conſpicui tranamus murmura riui
VVeiſuiller, læuâque viam deflectimus, vmbris
Somnum facturis, & parcæ munera menſæ
Laturis, vbi furta timens, Martemq́; rapacem
Haßiacum, Eſchuiller ſolus vix manſerat hoſpes.
Nuda domus, panis modicus, ſubtracta ſupellex.
Manè ſequens madidâ ſpargit caligine ſiluas;
Nos ad Reuicum, & curti confinia Regni
Pergimus, & Grani ſedes intramus Aquenſis.

XCII. PE-

XCII.

PEREGRINATIO IN SICHEM AD D. VIRGINIS TEMPLVM.

ANTONIO ABBATI S. ANASTASIÆ.

Regum Diua genus, cælo dignißima Virgo,
Numinis æterni Filia, Sponſa, Parens;
Perfugium miſeris, oppreßis Virgo leuamen,
Dulce decus Patriæ præſidiumq́ meæ:
Obſequijs deuota tuis dabo carmina; Muſam
Excipe, & addicti dirige Vatis iter.
In te Diua feror; cordi mea ſola voluptas
Es tu, nil aliud quod meditetur habet.
Hinc tua templa peto, Collis quæ nominat Aſper,
Quà Brabantinos Demera lambit agros.
Tu mentem rege quæſo, manum rege, Diua, pedeſq́;
Et mea fac placeant vota preceſq́ Deo.
Nil mortale peto; non Sceptri fulgor, & auri,
Præſentis vitæ me bona nulla trahunt.
Terra ſuas habeat dotes; mihi ſidera curæ,
Et præ ſideribus tu mihi, Virgo, places.
Sis mea, te Dominam liceat mihi quæſo vocare;
Sim tuus, & ſeruum mancipiumq́ voca.

Sic non excludet læſum me Numen ab aſtris,
Sed veniam erratis criminibuſq́ dabit.
Sic famulum caræ venientem nomine Matris
Excipiet per te conciliatus Amor;
Dulcis Amor cæli, terræ Seruator IESVS,
Vna ſalus lapſis, ſontibus vna ſalus.
Ille tuis Infans iacuit deuinctus in vlnis,
Vberibus pendens & fuit ille tuis;
Qui vitæ mortiſq́ vices, qui prouidus Orbem
Supremo Iudex temperat arbitrio.
Ille tibi pronus ſubmittet Sceptra; volenti
Obſequitur, Matri nil negat ille ſuæ.
Ergo, Diua, tuam recto peto tramite ſedem,
Et te præſentem poſco iuuandus opem.
Non me rura vocant, non propugnacula Moſæ,
Traiectum rapidis quà rigat amnis aquis:
Non Haſſelleti ciues, non mœnia nectent,
Non Herchenroti clauſtra ſacrata moram.
Diſtemium præter tua verſus culmina curram,
Vt ſiſtant properum limina ſancta pedem.
Bruxellâ veniet, mecum Internuntius Aris
Vnà incenſurus pinguia thura Nepos.
Gaudia coniunctæ reuocabunt mutua dextræ,
Amplexuq́ dabit pectus vtrumque frui.

Non

Non ideò ſecum ducet me ſedulus vltrà,
Vt viſam reduci Belgica tecta pede.
Non vrbes, non aula Ducis, non docta Lycæa
Sunt deſiderijs ampliùs apta meis.
Talibus allicitur primæuo flore iuuentus
Moribus, & varias gaudet adire plagas;
Vt prudens animus narret venientibus annis
Doctior exemplis viſa referre ſuis.
Hoſpitio templum breuior me ſemita ducet,
Et Grani breuior ſemita reddet Aquas.
In ſenium vergo: vidi terræq; mariſq;
Iam ſatis; vna mihi reſtat eunda via.
Grandior illa quidem Cæli conuexa tuetur,
Eſt iter ad Superos, nomina lactis habet.
O vtinam liceat noſtras abſtergere culpas,
Et niueâ Domini veſte ſubire domum!
Ibimus (hæc ſpes eſt) lætantes ibimus illuc,
Si te digneris tradere, Virgo, ducem.
Et ſanè facies; tua nos vexilla ſequemur,
Ac per te facilis meta ſalutis erit.
Namq; vales, optaſq; malis ſuccurrere noſtris,
Nec Cynoſura mari certior vlla nitet.
Sed iam Sichemij ſpectantur culmina montis,
Turris, & aurato templa rotunda tholo.

Salue ſacra domus, ſtellis ornata coruſcis,
Ambiat æternis quam ſua ſilua comis.
Creſce abies victrix, radijs diſtincta per orbem;
Creſcite fulgentes, frondea ſerta, cruces.
Non tua Mars victor, non tangant mœnia fures;
Hinc procul è cælo fulmina miſſa cadant.
Nulla tuos calles obſcuret turba latronum
Inſidijs; certum ſemita monſtret iter.
Soſpes ab extremis huc ſe pius aduena terris
Conferat, ad patriam mox rediturus humum.
Tum memoret Diuæ ſimulacrum Virginis, olim
Annoſæ quercus vertice compoſitum.
Vt lapide extructo, gemmiſq; auroq; ſuperbo
Tranſlatum templo grandior Ara tenet.
Corporis atque animi languoribus inde medelam
Virgo affert, calidâ ſi prece quiſque petat.
Mille hæc appenſæ recitant benefacta tabellæ,
Milleq; teſtantur dona relicta fidem.
Venimus optatas, en tandem, venimus Ædes,
Ferre licet ſanctis oſcula liminibus.
Lingua ſile, meliùs tacitæ ſuſpiria mentis
Clamant; & vocem cor lacrymantis habet.

XCIII.

IN DIE ANNIVERSARIA CVRATIONIS PERICVLOSÆ.

Ad I. Archiepiſcopum Epheſinum; ſectionem calculi, & Angeli cuſtodiam, ac plura alia beneficia recenſet.

SAlue clara dies, niueo ſignata lapillo,
O ſemper votis culta, colenda meis!
Naſcere fauſta precor, vultu formoſa ſereno,
Et noctem propero diſcute lucifero.
Bis quater alma redis, cùm te naſcente reuixi,
Expertus medicæ tela cruenta manus.
Lithiaſis, crudele malum, mea viſcera torquens
Æquabat miſeram lenta dolore necem.
Præ foribus Libitina fuit, ſeu vincere morbus,
Vulnere ſeu mallet ſæua medela ſuo.
Audieram iuſti ſupremas Iudicis iras
Damnantes lethi voce tonante reum:
Vt quid truncus iners iam tot labentibus annis
Occupat hic terram, poma nec vlla parit?
Fronde viret ſterilis pingui ficulnea campo.
Succide, &; fructus quæ negat, igne luat.

Audieram: lacrymis oculiq́ sinusq́ madebant,
Nec potuit linguæ soluere frena dolor.
Dicere conabar, me fassus inutile pondus;
Verba sed in labijs obriguêre meis.
Ergo muta graui perfundens ora rubore,
Vix animo implorans commiserantis opem,
Hærebam stupidus, cùm dextram murmur ad aurem
Allapsum dulci flectere corda sono.
Aduigilans lateri Custos, præfulgidus Ales,
Promptus & officio talia dicta dedit:
O Pater, ô quin hunc etiam dimittis in annum
Vt fodiam, fibras exsaturemque fimo?
Parce precor, fortasse iterùm coluisse iuuabit,
Nec labor in ligno noster inanis erit.
Experiêre breui num vires tempore sumat,
Fructu compensans vberiore moram.
Dixerat; & precibus Deus annuit, atque benignâ
Restituit vitæ perdita fila manu.
Accitus Rheni Giraux Epidaurius vrbem
Venit; non meliùs qui secet alter erat.
Hic dubium latâ reserauit cuspide vulnus;
Et fuit hac ipsâ cuspide certa salus;
Calculus à durâ contritus forcipe quamuis,
Et licet in vulnus sit repetita manus.

Sic

Sic illi placitum, cui parent sidera, vitam
Vt votis supplex Angelus assereret.
Tu bone Dux igitur, tu pro me candide summo
Quæso Deo laudes grataque verba refer.
Me tua (nam sine te periissem matris ab aluo)
Excepit gremio cura paterna suo.
Illa vacillantes firmauit sedula gressus,
Et docuit primos reddere voce sonos:
Addidit & vires puero, morbosque proteruos
Diuinâ membris cedere iussit ope;
Seu capitis scabies, seu morbus regius vrsit,
Et modicus stomacho deficiente calor.
Me propè vorticibus torrens submerserat, arces
Cùm peterem primùm, Roma superba, tuas.
Eridani duro trahit vrbs quæ nomina ferro,
Me rabidâ illæsum vidit abire lue.
Vidit & illæsum, mediâ cùm nocte lacunar
Et raperet totas improba flamma domos.
Non mare me Siculum, non hausit Scylla, nec ipsa
Quæ latet ancipiti dira Charybdis aquâ.
Nec minor est tutela animi; seu rebus agendis,
Inuigilem studiis siue Minerua tuis.
Mille per ambages, per mille pericula tuti
Viximus, & canis prima senecta viget.

Ergo

Ergo age Dux vitæ, vitæ quodcumque ſuperſit
Dirige; ſit longæ, ſit breuis illa moræ:
Dummodò prouentu reſpondeat vbere, ramos
Amputa, & aëreas corrige falce comas.
Vt libet, expurga; ſic cæli mulceat aura,
Confirmet Titan, ætheris vnda riget.
Siue ſeuera nimis trunco, ſeu mitior adſit;
Dum tua ſit cultrix dextra, perinde placet.
Damna ferent animos, creſcet de vulnere robur,
Et quæ producat poma ſecuris erit.
Hæc præfixa meæ perſtat ſententia menti,
Cuius, nec dubito, nobilis auctor ades:
Sancte comes, Cuſtos animi, ſpes firma ſalutis,
Errantis regimen, præſidiumq́; ratis.
Sic volo, ſic voueo; lux hæc octaua Nouembris
Concipit; hæc offer tu pia vota Deo.



POM-

POMPEIVS, TRAGOEDIA.

Quam Auctor, anno CIↃ. IↃC. XXI. cùm fortè rusticaretur, lusit, *Senecæ* in morem, tum quoad œconomiam, tum quoad metrum, solius oblectationis gratiâ; nec vmquam publicè dari passus est.

ARGV-

ARGVMENTVM.

CNeus Pompeius, Cnei filius, cognomento & re Magnus, ter Conſul, ter Triumphator, vbique victor, deficiente foris hoſte, quem vinceret, ciuem domi inuenit, à quo vinceretur. A Cæſare in Emathiâ profligatus, in Ægyptum appulit; malè confidens alienis, iam deſtitutus à ſuis. Itaque, clàm fugiens hoſtes, palàm ab hoſpite interficitur, mentiti fœderis fraude à Ptolemæo exceptus.

PERSONÆ.

VMBRA IVLIÆ, quæ prior erat Pompeij vxor.
CNEVS POMPEIVS MAGNVS.
THEOPHANES, à conſilijs Pompeij.
ACHILLAS, Dux exercitus Ptolemæi.
CORNELIA, Pompeij vxor.
CHORVS PELVSIORVM.
CHORVS ROMANARVM MVLIERVM.
NVNTIVS.


Scena eſt ad littus Peluſij.

ACTVS

ACTVS PRIMVS.

VMBRA IVLIÆ.

Pompeio, coniugi quondam suo, appellenti in Ægyptum, atque ad Ptolemæum diuertenti, malè ominatur, ac suadet fugam.



Eu, fuge, Pompei, malè fidi littoris oras;
Heu, fuge Niliaci barbara tecta Ducis.
Nefarijs non degit hic terris fides;
Non tuta profugis regio: secedant procul,
Et leuia in altum vela committant rates.
Cruenta, victus, bella nequicquam fugis,
Si malè secundis vnda te Zephyris vehit,
Quà dira paces inter ancipites parat,
Quaq; exsecrandum stragis impendet malum.
Incautus hospes quale perfugium petis?
Fuge manum amicæ frontis hostilem procul.
Iacuisse pueri fraude dicêris senex;
Nec patria meritos grata persoluet rogos.
Iulia, vetustas pectore asseruans faces,
Enixa quondam trepida mentitæ necis
Fœtus acerbos vxor, & propero nimis
Extincta casu, huc Ditis è regno volans,
Linquo beatas sedis Elysiæ domos,

Nuntia

Nuntia malorum: ſortis extremæ vices
Admoneo, & ima repeto fatorum loca,
Et ſector umbras umbra per amœnum nemus.
Heu, fuge, Pompei, malè fidi littoris oras;
Heu, fuge Niliaci barbara tecta Ducis.

POMPEIVS.

Spe plenus, animos ſuorum erigit; inſtaurandumque bellum pollicetur, potentiſſimorum ſociorum armis adiunctis.

QVacumque cæli fulgidâ luces plagâ,
Gradiue, bellorum parens; tuq; ô Deûm
Sator, potenti ſceptra qui torques manu;
Et quæ Latinum Patribus inuidit decus
Infenſa quondam Iuno; quæq; nitens Venus
Roſeâ albicantem luce reſpergit diem;
Tuq;, ô Quirine; quæq; inextinctum foues
Ignem; cremato voſq; Dÿ magni Phrygum
Aduecti ab Ilio, adeſte, & infauſtos precor
Auferte curſus: melior accedat pÿs
Fortuna bellis. Omnia fluunt motibus
Addicta veſtris: quiſquis inuito velit
Pugnare cælo, quamquam & æquo dexteram
Obarmet enſe, faſq; vindicet & Deos;

Citior

Citior ſagittâ cadet hic emiſſâ manu
Scythæ fugacis, fulmine aut magni Iouis.
Ceſſare iuuet, aduerſa quoties imminent,
Moraſq; trahere, ſiderum donec noua
Facies niteſcat, placida quæ ſortem ferat.
Effugimus, quodcumque portendens mala
Sidus nocenti lumine cucurrit polum.
Nunc & cruentâ ſtrage minitari necem, &
Patrio rebelles perſequi ferro licet.
Status has vices mortalium alternas habet,
Atra vt ſequatur nox diem, noctem dies
Clarus recipiat: varia ſic rerum parens
Natura ludit, læta lacrymis implicans,
Fabula inopino ſemper vt cadat exitu.
Eia agite, Ciues, Romuli clarum genus;
Prudens & aſtus, mente generosâ latens,
Non timor in acie debilem ſuaſit fugam.
Proluſit enſis Emathiæ in aruis meus,
Senſitq; fata aduerſa, fugitq; impetus
Lethi manentis. Hîc adornandum eſt recens
Agmen, vbi fatis melior aſpirat meis
Fortuna, & hoſpes excipit Phario puer
Spectandus oſtro: tutus hîc ſocios mihi
Vocabo ad arma; veniet &, tumidum bibit

P *Qui-*

Quicumque Nilum, lata portantem mari
Per ora ſeptem diuites vndarum opes;
Et qui nitenti Sole feruentem plagam
Sitiens arenis mobilem Libyam colit:
Hinc Maurus inſignis veniet, illinc vagi
Acreſq; Numidæ, quæq; ad Auſtrum extenditur
Amica tellus, quæq; in occiduis iacet
Porrecta campis. Nec minus habet militum
Romana claßis: mille in Argiuo mihi
Fœtæ triumphis militant pelago rates.
Sparſit magis quàm perdidit noſtras opes
Patriæ rebellis; iſta nec iactet tumens
Viciſſe bella. Sumite antiquum decus,
Atque arma Ciues; patria vel diſtet procul,
Non illa ſecum robur atque animos tenet:
Cadauer eſt, turrita quidquid mœnia
Cingunt; nec vrbes marmor inſanum facit,
Sed ſi qua virtus ciuium mentes colit,
Facilis negatas ſiderum tentans vias.
Vos corde Romam geritis illuſtrem Patres;
Quæ Roma domuit quidquid exoriens videt
Cadenſq; Titan; quæ ſubegit limite
Ab vtroque mundum, tota nunc veſtro viget
Spiratq; vultu: hanc reddite ſuo Tibridi,

Suoq;

Suoq́ cælo: ſubeat & mentem, precor,
Auſonia libertas, parentes, coniuges,
Natiq́ paruuli, grauis quibus imminet
In ſeruitutem caſus, vt vecordiam
Damnent parentum, quòd tyranno ſubdita
Patritia ſeruile tulerit ceruix iugum.
Heu, quale miſeris inſtat, & quantum nefas!
Mittentur vmbris victimæ, qui vix frui
Auris didicerint, citiùs ereptam ſibi
Vitam querentes, quàm per ætatem viri
Specimen auitæ ferre virtutis queant.
Vos dicet hoſtes turba natorum innocens,
(Si noſcere hoſtem poterit, aut ſaltem loqui)
Vulneraq́ credet veſtra. Qui haud prohibet ſcelus,
Mandat patrari. Heu, quantus in bellis adeſt
Cæſar, cruentâ ſternat vt ciues manu,
Vt ille priſcus abeat à patriâ vigor,
Noſtro vt cruore purpuram regno paret!
Non ita. Philippis non adhuc periјt decus,
Quòd Regna toties victa pepererunt mihi;
Quoſq́ mihi comites fecit aduerſus labor,
Non ſic triumphis propior amittet dies.
Non totus ego Pharſaliâ cecidi; manet
Pompeius, & ſecunda ſtellantis poli

Metitur oculis ſpatia. Quem ſibi Vindicem
Hucuſque dicit Roma, mox dicet Patrem.
Iungamus arma; vincat & numero phalanx
Et robore hoſtes, cui ſocia ſtringat Pharos,
Rexq́ Iuba fœdus: ſiq́ bellantum agmina
Maiora cupitis, veniat Eoum excipit
Quicumque Solem, quiq́ fugientis natat
Tigridis in vndis, quiq́ in Euphratis leui
Illudit alueo: mea ſequatur frigidus
Vexilla Pontus, Colchis, & profugi Scythæ,
Parthiq́, Alaniq́ & niteſcens Perſidis
Acinace manus, & propinquo decolor
Phœbo Indus: omnis militet tellus mihi;
Non illa iuſſus ſegnis excipiet meos.
Vbique norunt: Ille Rex pacem fouet
Auctore Pompeio: ille victus deſtitit,
Belloq́ ceßit; quiſquis & contrà ſtetit,
Mox cecidit hoſtis. Ite, & omnes vndique
Accite populos, quoſq́ domitor ſubdidi,
Et queis peperci: lætus imperia excipit
Vterque. Nomen victor extendi pium,
Quo nolui arma; quoſq́ non ferrum ſibi
Deuinxit, illis aureas nomen ſinu
Fecit catenas. Orbis aut noſtro fuit

Sub-

Subactus ense, aut cessit officijs libens.
Vel ipse, tumido qui imperat Nilo puer,
Erratque campis agmina sororis fugans,
Mihi, quidquid habet, id gratus acceptum refert.
Regno Parentem reddidi profugum suo:
Hinc ille moriens diuitem fidei meæ
Commisit Aulam; hæc ipsa me supplex rogat,
Vt sceptra conciliem. Ibo, & aduersas procul
Arcebo turmas. prorsus haud cecidit suis,
Quisquis alienas erigere dextrâ venit
Potens ruinas: resque componet suas,
Firmare tenues ille qui externas potest.
Intereà eatur, quà posuit hospes dapes,
Ditesque mensas. Fata fortunet Deus.

CHORVS PELVSIORVM.

A Lunâ, maris fluxu, fatisque, alternas Fortunæ vices describit: atque ab habitu athletarum in deterius vergente, Romanæ potentiæ casum argumentatur.

ERgo stat variâ sub vice mobile,
Quidquid noctiuago lumine Cynthia
Præcingens tremulis motibus aspicit.
Heu! nostris nimium proxima finibus
Quem vitæ instabilis prodiga, rebus his

Cursus ambiguos Cynthia diuidit.
Non sola vndisoni murmuris æquora
Alternis repetunt littora fluctibus,
Et facto refluunt agmine, nescia
Seruandi requiem. Protinus omnia
Fato humana ruunt irreparabili.
Nec cessare licet: prospera non moram,
Non aduersa trahunt. Deprimit Hesperus,
Et durus tenebras trudit ad inferas,
Quos vix ad superos Phosphorus efferens
Casuros tenui luce refuderat.
Tempus fulmineo labitur impete,
Cælorumq́; vagis cursibus imperans
Peruertit celeri turbine subditos
Terrarum populos; Regnaq́; prælijs
Miscens, sollicitis corda potentium
Curarum stimulis tangit. Hic ambitu,
Hi luxu pereunt; ille superbior,
Hic belli cupidus. fingit opinio
Totum id nostra sibi, quæ procul abditas
Causas quærit iners. Omnia temporis
Cæliq́; arbitrium perdit, & eleuat.
Certos imposuit Dædala limites
Natura, & superûm prouidus Arbiter,

Quos

Quos vltra nequeunt res ſine labili
Pertranſire fide. Nec mala ſæpiùs
Ærumnæq; nocent, quàm bona mollibus
Corrumpunt opibus, fataq; proſpera.
Sic creſcit validis robur in artubus,
Et maiora vigent corpora viribus;
At, cùm ſumma tenent, nec datur addere
Vltrà; in deterius ſquallida corruunt.
Sic procera petit ſidera vertice
Quercus, nec modico germine pullulans,
Ad terram ſubitò pronaq; concidit.
Sic vrbs Dardanij Martia Romuli,
Poſtquam finitimos vicit, & vndique
Antiquam Heſperiam, atque arua Proſerpinæ,
Pœnoſq; & gelidam ſubdidit Illyrin;
Et poſtquam Aſſyriam pugnam, & Achaicam,
Piratamq; vagum, & Pontica prælia,
Et Parthos celeres, Betis & accolas,
Et magnas tumido nomine Gallias
Diſiecit, populis omnibus imperans;
Quòd ſummum tenuit, quòd nimiùm fuit
Felix, vt Superos culmine tangeret,
Tandem Roma ſuis viribus occidit.

ACTVS SECVNDVS.

POMPEIVS.

Mala præsagit animo: nec fidit.

QVàm facilè diues quiſque conſilium alteri
Donat, & egenus ipſe non reperit ſibi!
Quàm ſæpè varians animus audaci tegit
Vultu timorem! Verba percepit meus
Mentita miles, ſpeq́ non fictâ cibo
Veſcitur, & hilaris mensâ compeſcit famem.
Me dirus ille, qui occupat mentem, dolor,
Vetans quietem noctis, & ſolitas dapes,
Solamen vllum prohibet ærumnis dare.
Quò tendis, anime? quódve perfugium paras?
Extrema cùm te fata circumſtent, quid hæc
Commenta fingens, quæris externam fidem?
Aut vnde, tot preſſus malis, ſocium paras?
Proles vetuſti bella Ptolemæi gerit:
Nec ſua relinquet ille, qui dubius tenet,
In ſorte dubiâ ferat vt alienis opem.
Tuteris alterum, alter erit hoſtis tibi:
Vterque concors tela dimittat; tamen
Confide nulli: mobilis in annis furor,
Ætaſq́ mollis, facta mutant illicò:

Ama-

Amata linquunt; quodq́ damnarunt, probant:
Tenax virili regnat in dextrâ fides.
Iubam requires? Pœnus hunc sanguis notat,
Acriq́ tacitos mente subnectit dolos.
Parthúmne adibis? pugnat hic campis fugax,
Nec superat vmquam montis elati iuga,
Fraudiq́ fidit, & venenis illitum
Committit auris debilis ferrum manus.
Quid Indus, aut Arsacidæ? in aduersis perit
Ea, quæ secundis oritur in rebus fides;
Et sorte vitam prosperâ quidquid trahit,
Occidet, amicas illa si mutat vices.
Qualis bipenni plurimâ syluis labans
Annosa quercus, motat antiquum caput,
Nutatq́, certumq́ legit ancipiti locum
Tremens ruinæ; talis in varias feror
Et ipse partes; certus, & casum sciens,
Incertus, vbi casurus, animi pendeo.

THEOPHANES. POMPEIVS.

Theophanes Pompeium rectè ſperare iubet; dum hic intereà portentis varijs, & viſis nocturnis terretur, ſuſpectamque habet fidem hoſpitis pueri.

THEO. *Romane, veteris clara progenies Numæ,*
Quid inſuëti corda ſollicitat mali?
Quid mæſta tecum loqueris, auraſq; anxio
Murmure fatigas? Pande curarum ſinus,
Maliſq; tantis quæſo me ſocium voca,
Quem ſæpè noſti ſorte gauiſum tuâ.
Effare; reddunt verba & ærumnas leues,
Quiſquam nec adeò conſilI prudens viget,
Quin meliùs aliquid fando conſultet ſibi.
POMP. *Leuiora damna voce releuari queunt.*
Grauiore premimur ſorte, quàm minuat ſonus:
Nec mentis illud ratio rimari velit
Quod quiſque nouit, nimis & experto patet.
Vidi nefandâ ciuium Emathios nece
Creuiſſe campos, grande Romulidum decus;
Quin ipſa Roma cæde fatali occidit,
Degener vt hoſtis victor Auſoniam premat.
Inuiſa ſibi bella eſſe monſtrarunt Dij;

Nec

Nec vna tandem signa miserunt necis.
Micans cucurrit fulgur hostiles super
Hinc inde classes, iter & obliquum secans
In nostra tandem se impulit moriens loca,
Nebulâque posuit obsitum multâ caput.
Ceruice rectâ vulnus expectans sacrum
Victima sub ictu pinguis ante aram stetit;
Sed vt securim dextra librauit, metu
Concussa volucri templa deseriit fugâ.
Quid ille turmas nocte lymphatas agens
Cæci tumultus dubius exoriens pauor?
Cum quisque inanes metuit auras, nescius
Quidnam timeret omnibus, nulli timens,
Conserere bello nolui oblato manum;
Sed militi cedens, prior didici à meis
Vinci, vt docerem ab hoste superatum quoque.
Admota vt acies, mansit in conspectu iners,
Ambigua, & amens horruit subito gelu,
Pallensq; vultus terga respexit metu,
Sensuq; dextras tela fugerunt pio:
Ast vbi canoræ bella sonuerunt tubæ,
Feruidus in hostes hostis hinc atque hinc ruit,
Et glomerat acres vulneri intentans manus.
Concurritur vtrimque: grauior Pharsalicis

Fit

Fit pugna in aruis, vlla quàm cernat dies.
Cetera silere lugubris cogit dolor;
Seu fata, seu Cæsar, vel infernæ Stygis
Turbæ nocentes, vel magis fuerint Dij;
Vincimur, & æqua montibus tellus iacet
Constrata tot funeribus, & rigui fluunt
Amnes cruore ciuium. Sic ô Duces,
Sic astra petitis? Perditi ac victi carent
Sepulchro, & agros pondus externos premit:
Tumulata tellus ipsa, subsidit graui
Latè cadentûm; ciuium cumulo minor,
Ne videat illud noxium cæli iubar
Pluuium quod illi noster effecit cruor.
Constiti ego, & amens horrui tantum nefas,
Vertiq; vultum stragis aspectu horridæ,
Scelusq; scelere maius extremum dedi,
Turpi recedens ipse Dux belli fugâ.
Hæc ille moriens fulgor, hæc subitus pauor,
Ferrumq; id hostia fugiens, tandem volunt.
THEO. *Resiste paulùm fortis, & priscos voca*
In corda sensus: redeat hinc illud, precor,
Quod regiæ frontis fuit amicum decus.
Quamuis in acie iniqua sors fuerit prior,
Secunda nobis vota permisit tamen,

Et

Et iam ſerenâ luce proſpexit Deus.

POMP. *Vtramque damno, ſceleris ex æquo ream,*
Cùm fudit acies, cumq́; defendit fugam.
Fors illa vicit, iſta fugientes videt:
Plus hæc fauendo nocuit; vt peior nece
Vita æſtimatur, turpe quam maculat ſcelus.
Viciſſe vetuit; iuuit vt fugerem: execror
Quidquid fauoris fata præſtiterint mihi.
Si ſic iuuandus ſum, velim noceant magis,
Ne vilis adeò pateat in probris fuga.

THEO. *Decora, fortis, valida, Romano Duce*
Sat digna potiùs illa, perniciem fuga
Quæcumque vitat, acrior vt armis queat
Stetiſſe campo. Ad iſtud incolumis modò
Seruaris, vt propinqua Ptolemæi tibi
Auxilia iungas. Nec tueri te abnuet,
Cui totus ore ſpirat antiquus Parens;
Senileq́; viget iuuenis in vultu decus;
Vt, quas Parens debuerat; has reddat memor
Puer ille grates. Simile ſimili gignitur,
Totamq́; ſe transfundit in prolem ſuam
Pietas auorum. Clara ſic virtus parit
Seſe, & labantes viuida æternat vices.

POMP. *Priuata virtus ſe minoribus inſerit*

Persæpè, auoq; exoritur & similis nepos.
Non illa Regibus fauet sors: nascitur
Aut fit parenti absimilis; immutat statum,
Peruertit Aulam, vbique leges innouat;
Rex regna diues teneat, id tantum cupit:
Huc æqua iniqua vertit, officij immemor,
Iniuriarum solùm & odiorum memor.
Nec curat ingrati notam; sed ciuibus
Libens relinquit, gratiæ vt reddant vices,
Ipse altiora mente concipiens bona.
THEO. *Exigua merita facilè tegit obliuio,*
Nec subdito Rex gratiam ciui refert,
Ne se minorem statuat; at Regi refert.
Tam insigne facinus ergo ab animis excidet?
Nec te iuuabit ille, qui vitam tibi,
Qui Regiam acceptam refert? non aureis
Defendet opibus, quas ope recepit tuâ?
POMP. *Falleris: in animo seruat, & sumptu leui*
Rex merita pensat leuia; sed damnat magis,
Letho rependens, magna quæ tenui nequit
Pensare præmio. Nec vlli vmquam velit
Ita debuisse, vt metuat & regno & sibi,
Si gratus illi reddat: aut si det minùs,
Vt sic precariâ manu regnet. THEO. *Patrem*

Non

Non ergo patriæ agnoſcet, & clarum Ducem,
Quem ſibi Parentem donat extincti loco
Sacer Senatus? quem ſenis tabulæ petunt
Auletis? POMP. *Haud hîc regna Pompeius poteſt*
Vmquam tueri, qui exul & victus fugit.
Non hunc vocauit ſenior auxilio virum;
Sed eum triumpho nobilem quondam Africo,
Et enſe magnum, & mente maiorem, Tagi
Qui propter vndas victor extremo manum
Cum Sole ſparſit, qui rebelles perdidit,
Idemq́; pacis pariter ac belli arbiter.
Rex Pharius obijt: eſto nunc viuat; tamen
Pompeius obijt: fata commutant viros.
THEO. *Remitte, precor, exæſtuantes impetus,*
Mentiſq́; deſperantis inſanos procul
Auerte fluctus; nec ea ſollicitum prece
Oraſſe pudeat ſceptra, quæ quondam pio
Seruaſſe Regi iuuit, & meritò tua
Vocare poßis. POMP. *Egone vt incautus ſenex,*
Pueroq́; fidam? THEO. *Non adhuc fraudes puer*
Didicit; tenello corde ſimplicitas viget,
Puruſq́; candor. POMP. *Non adhuc didicit fidem.*
Sat cuique celeres ſponte naſcuntur doli,
Magiſq́; Regi: ſiq́; non adſint, mea

Etiam

Etiam in fideli fors adinueniet dolum.
Sed quis modò tam ſubitus aures perculit
Sonus? vnde militũ hæc repentè cohors? THEO. *Adeſt*
Armis onuſtus miles, illuſtrem tenet
Criſtaq́ & auro galeam; hic in clypeo vetus
Inſigne portat; ille thoracem ſequens
Nexumq́ ſegmentis ſagum nitidis gerit.

ACHILLAS & POMPEIVS.

Achillas Pompeio & munera offert nomine ſui Regis, & fidem pollicetur atque amicitiam; arcana cum eo collaturus.

ACH. Q*Vàm dulce Regni nomen, & felix bonũ!*
Hucuſque nitor viribus, & animũ ſagax
Exacuo & artes, vt poteſtas denique
Sit imperandi. Non procul aberit à meis
Fortuna cœptis. Ope Deorum prouehor,
Semperq́ vetere maius exoritur recens
Decus, vt in altâ ſede conſiſtat gradus.
Docuiſſe Regem munus antiquum fuit,
Quò noſtra virtus intimos inijt ſinus
Nitentis Aulæ; cœpit & facilem ſibi
Captare populi gratiam, mox in nouos
Mutare faſces, cuncta conſilio meo
Sub pace regere; nec minus belli potens

Mili-

Militibus impero. Omen hoc faustum fuit,
Regi imperasse, dum eius ingenium colo,
Luxusq́ suaues insero leuis otÿ,
Meq́ altioribus parem titulis gero.
Sed ecce, Magnus hospes incessu obuius.
Præferte dudum munera. O Regum genus
A stirpe ducens, patriæ meritum iubar,
Quem tot remoti longiùs Gentes soli
Sensêre in acri Marte quid posset manu;
Cuius triumphis vnà vix tandem dies
Optatur , hoste Roma quâ domito caput
Attollat astris. Quando Niliacum decor
Is fortè Regem manet, vt & partem ferat
Felix honorum, teq́ bellantem libens
Sequatur armis; fœdus excipiens rogat,
Vices regendi , & bella componas priùs,
Ne vacua solers regna diripiat soror.
Intereà & istud pignus ingenuæ cape
Fidei, verendus arma quæ gessit Parens
Pharÿs decorà Regibus. Tenui dedit
Quædam papyro inscripta, quædam etiam meis
Arcana credidit auribus: peragam celer
Mandata: ab omni est liber arbitrio locus.
POMP. *Veram Parentis nosco progeniem sui:*

Q *Com-*

Commiſſa tutus auribus reddes meis
Quà diues æde Regia nitenti latet:
Grati rependam muneris pretium, Dij
Si quando lætas fortè reſtituant vices.

CHORVS PELVSIORVM.

Liberalitatem muneraque prædicat, à Rege oblata Pompeio; & ob confœderationem benè auguratur.

OPpreſſos miſeris diſcite cladibus
Tutari ingenuo pectore prouidi:
Velox adueniet dies,
Greſſu quo redeat cito
Collucens gemino gratia munere.
Ductori Auſonidum fœnore cum pio
Gratas Iſiacus puer
Doni reſtituet vices.
Concordi Charites manu
Vatum carmina concinunt
Nexas, vt redeat breui
In ſeſe chorus orbitâ.
Has ridens peperit Venus
Partu non grauis vnico,
Aluum thyrſigeri gerens
Pinguem ſemine Oſiridis.

His

His non prægelidas hyems
Astringit glacie niues;
Non æstus geminat fera
Frondosæ Nemees leo;
Non illis pluuio cadit
Imber sidere defluus;
Sed ver purpureum nitet,
Atque auris Zephyrus tepens
Circum mollibus euolat,
Vultu cana rubentibus
Vernant lilia cum rosis:
Vestes barbaricæ procul
Splendent; non color aureus,
Non gemmæ, capitis iubar;
Nodo sed coma tortili
Artem spernit inutilem.
Nudæ membra nitentia
Hæ prolem Veneris decent
Vestes, vt choreas vago
Saltu circinet aptior.
Sic dantem repetit cita
Multo Gratia munere.
Fronti perpetuus decor,
Membris grata proteruitas,

Conſertis manibus fides,
Regnat mutua Gratijs.
Hac eſt ad Superos tendere peruium,
Hac & Cælitibus te facies parem,
Queis eſt præcipui gloria nominis
Mundo munificam ſpargere copiam.
Sic, mortalis adhuc, ſis homini Deus.
Certabunt populi funera poſt tua
Aras ponere ſupplices,
Pingues cædere victimas.
Sic quodcumque iuuat, Dei
Terris nomen habet: ſacer
Vt templis colitur canis,
Vt terris medicum genus
Campis herba virentibus.
Regnum Niligenæ pius
Regi reſtituit ſuum
Dux, & pacis amabile
Genti reſtituit decus.
Certans officijs puer
Arcto fœdere milites
Mox addat comes hoſpiti.
Regnet Roma ſuperbior,
Et tranquilla ferat ſæcula poſteris.

ACTVS

ACTVS TERTIVS.

THEOPHANES.

Oſtendit ſpem vultu tantùm ſimulare Pompeium; at altum premere interim corde dolorem: ipſe tamen Regis Ptolemæi, in auxilio afferendo, fidem ſcrutari cupit.

ICtum miſeriâ quod ſemel cecidit graui,
Vt ſemper omni pectus oppreſſum malo
Iacet! vt ſecundis pauitat in rebus quoque,
Nec vmquam ad ipſa lætus exſurgit bona,
Quicumque fatis fuit in aduerſis miſer!
Nimboſa ſeu cùm ſæuijt ventis hyems,
Horrenſq; multâ niue ſibi reſoluit comas,
Ver priſtina tamen ſigna glaciei tenet,
Rigetq; , quamquam ætherea Sol Tauri premat
Terga, & ſerenus luce tranſcurrat dies.
Fortuna felix redeat; afflictos tamen
Gaudere piget, & rebus haud vmquam datur
Sperare lætis. Læta cui deſint, eum
Angit cupido, luctus, inuidia & dolor:
Cui ſint, pauores mille ſollicitum tenent,
Ne fors rapaci repetat inſtabilis manu.
Adeò vſque felix nullus in terris viget,
Et fauſta ſint infeſtáve ex æquo mala.

At quid peracti temporis fatum queror
Commune cunctis? decuit hæc ſemper Ducem
Sors ægra Magnum, fronte dum fictâ, palàm
Verax, lateret mentis attonitæ pauor.
Conqueritur, hæret, metuit, horreſcit, furit,
Silet repentè, & ora purpureus notat
Rubor: inde pallor omnis in vultu redit;
Omnis recurſat, nullus inſiſtit color.
Heu, quò malorum pondus hoc dirum ruet!
Formidat hoſtes; hoſpitem metuit magis.
Dolos vbique præuidet; reputat fidem
Speciem eſſe fraudis, ſeq́ꝫ vix credit ſibi:
Adeò pererrat; quodq́ꝫ in extremis ſolet
Adeſſe fatis, omne conſilium perit.
Sed ipſe, rebus qui vnus auxilium poteſt
Afferre laßis, hoſpes Iſiacus breuî
Aderit, ſuas & forſan adiungens opes.
Sic ſæpè præſens caſus oppreſſos monet
Meliora, quàm ratio ferat. Victis ſalus
Eſt vna, nullam noſcere ſalutem: loco
Cùm quid ſupremo pendet, hoc vnum ſcias,
Si nil potes ſperare, deſperes nihil.
Socias reuiſens interim claßes, noui
Quodcumque maneat aure peruigili bibam;

Quid

Quid Cæsar audeat, quid hoſpitio fauens
Puer; an propinquet agmen, an ſegnis dolos
Anceps'que tegat: euentus ingenium reget.

CORNELIA.

Mariti fortunæ timens, angitur: Deorum olim amphibologicis reſponſis, & nunc ſpectro nouo Iuliæ defunctæ territa, ad Deorum opem confugit.

AGe tam ſæuo turbine preſſa
Mens, heu, tantis victa procellis,
Repete ô luctus lacrymoſa graues.
Nullum ægra modum pone querelis:
Nam quæ pateris, vicêre modum.
Comites lapſam me regite; dolor
Æſtuat imo pectore, dirus
Incendia tot dum rapida ciet.
Heu! quid queſtus improbe dolor, &
Ferus ærumnas cumulans idem
Lugere iubes, lugere negas?
Priuata quiſque damna complorat ſua;
Deflere cuncta Regis vxorem decet.
Tu ſancta cælum quæ incolis Pietas, faue
Aliquando miſeris; quoſ'que vexatos vides
Satis, futuris æqua ne turbes malis.

Feralis omen somnij auertant Dij,
Et vana in auras visa vertantur leues.
Alterutra teneas fata Pompei, sequor,
Vtcumque sequor: inanis aut feriat pauor
Aut verus, vnà adesse me vxorem iuuat.
Lesboa nimis exilia non faustè pius
Dedisti acerba, nulla cùm menti quies,
Cùm nulla membris esset; absentis metus
Mærore gemino pectus oppreßit meum,
Sopor inquietus bella cùm visu horrida
Spectanda retulit. Vidi in hostilem priùs
Intorta cædem tela, cùm hærens vir viro
Instabat vrgens, iamq; vincendo fugam
Suadebat hosti, terga vulneribus premens:
Mox & periclis adstiti, heu, quoties tuis!
Te te per omnes ense minitantem sequi
Turmas iuuabat, quando iam victus fugis,
Et strage fædâ clara Dardanidum genus
Extincta proles iacet in Emathiæ solo,
Carens sepulchro, nisi tegat in vndis cruor.
Laceßij, heu, quâ voce probrosâ Deos!
Mendax vocaui Numen, insipiens, leue,
Oracla dubio & oris illudens sono:
Romulei Proceres, Magnum per bella secuti,
Ibitis

Ibitis Emathiam, ponent vbi fata quietem:
Altera naſcetur Teucrorum à ſanguine Roma,
Et nouus externos circumfluet Albula campos.

Ergone perennis cæde miſerandâ quies
Iſthæc monebat? Roma ſic vaſto aggere
Ciuilium cadauerum ſurgit polo
Altera? Cruentis ſcilicet ripis fluens
Sortes probauit Tibris. Heu! fallax Deûm
Interpres, vt reſponſa perplexis latent
Obſcura dictis ſemper, & certâ Dij
Ambage vtrumque rebus euentum canunt!
Heu! me futura, ſed magis dubiam, lues,
Magis timentem cruciat. Infernis quid ô
Iulia relictis ſedibus vultu truci
Terres? per vmbras noctis arcanæ tua
Nam viſa imago maior humanâ, Stygis
Abripere ad vndas Magnum, & amiſſos diu
Thalamos repetere, meq́ue ſectari, furens
Diris. Nocentes deſine minari faces
Iulia: ſat ipſe Cæſar immanis premit.
Comites laborum, ſortis extremæ vices
Paſſæ, citato templa ſubeamus gradu;
Placemus vmbras coniugis; mox & Deûm
Votiua ſacris thura ponantur focis.

Q 5 CHO-

Chorvs Romanarvm mvliervm.

Deplorat ciuile bellum, & patriæ ruinam, ex dissidio post mortem Iuliæ inter socerum & generum orto.

Sequimur miseræ, turba doloris.
Captiua tui, casusq; priùs
Lugere lubet, quos vice nullâ
Reparare potens Fortuna queat.
Eheu! vbinam cernimus altæ
Mœnia Romæ, quà Tibris vdo
Labitur alueo? Dolor erumpe;
Non tenuis adest causa querelis.
Illa maritum vulnere plorat
Raptum; natos hinc illa gemit,
Altera fratrem: non quæque suam
Queritur stragem; quicumque ruat,
Poscit lacrymas vndique nostras.
Felix bellum, cernere lætâ
Fronte ruinam, cùm datur hostis.
Non hostis adest, licet hic bellum
Adsit: campo quicumque ruat,
Poscit lacrymas vndique nostras.
Perimit parentem natus, & natum parens;
Fratri cruentâ frater impendet nece:

Qui-

Quicumque pereat, ciuis hic noſter perit.
Qui tanta dirus bella commouit furor?
Aut quæ libido cæca regnandi tenet?
Eheu, propero Iulia caſu
Quantas trahis in Tartara tecum
Tetra ruinas!
Paris, heu, quantas patriæ cædes!
Iulia claram perdidit Vrbem
Moriens: aluo Iulia tumida
Enixa, necem peperit terris.
Vteri noctem tenebris Ditis
Cùm commutat paruulus infans,
Tetro mundum turbine verſat.
Illa parentem pace ſequeſtra,
Illa maritum iunxit mulier;
Stant vnius thalamo nuptæ
Publica veteris iura Senatus.
Non tam fortis regna tuetur
Miles, non tam ditior auro
Rex, quàm coniux fœdera firmat,
Regis mollit ſedula mentem,
Et bellandi temperat iras.
Huc, niſi prohibent pocula Lethes,
Memor Elyſias linquens vmbras

Reſpice

Respice ciues, Iulia, miseros:
Vna parentem potes, vna virum
Regere, & fessis vna quietem
Ferre, & dominæ quidquid superest
Gentis, patrijs reddere terris.

CHORVS PELVSIORVM.

Romanarum calamitatum se socium profitetur, vexationis suæ originem repetens à fabulâ Pelei, fundatoris vrbis.

CÆde fraternâ truculentus olim
Peleus, frontem metuens parentis
Æaci diram, procul egit vrbe
Gressum ab Æginâ; peregrinus oras
Mox ad externas properauit: illum
Excipit campis lapidosa Trachin,
Trachin horrido memoranda casu.
Quà maris Regem rapuit procella,
Quà maris sese dedit in procellas
Vxor æternùm lacrymosa, mortem
Ore Ceycis querulo insecuta.
Exul vt vidit volucrem per auras
Peleus Regem volitare vtrumque,
Fugit infaustæ regionis ædes;
Non tamen fatum profugus reliquit.

Tecta

Tecta crudelis veniens Acasti,
Quanta te Peleu tulit, heu, charybdis!
Hospitæ fœdos fugiens amores
Dum magis ponti scopulis rigens, &
Integer perstas precibus; refundens
Illa tentati sceleris furorem,
Credulo dixit nimiùm marito.
I, faue oppressis, miseris patentem
Regiam præbe, tuus incubanti
Adstitit noctu violentus hospes.
Credit, atque iram geminans Acastus,
Ac dolos secum meditans latentes,
Ducit in cæcos nemorum recessus
Pelion quà se spatijs per auras
Inserit cælo. Miser hîc sopori
Membra dum tradis, redit ille ad vrbem
Tramite occulto, leuis vt iaceres
Præda Centauris. Subitò biforme
Nube prognati genus euagatur.
Cùm dij tantùm vetuêre crimen,
Mulciber iussu gladium paterno
Lemnius portat: rapis arma velox;
Inde iam cæsim glomeras, rotásve;
Nunc petis punctim, feriensq; vulgus

Omne prosternis cumulo iacenti.
Inde te vltorem sceleris doliq́;
Thessalus sensit modò gratus hospes,
Sensit & ponti domitrix Iolchos.
Non tamen patris potuere mentem
Flectere hi casus rigidè seueram,
Bella non tantis agitata fatis,
Turpe non sæui exilium pericli,
Non tot emensi pelago labores,
Prima càm intactum violauit æquor
Nauis, & remo domuit profundum.
Impiæ, dixit, manet expianda
Noxa adhuc cædis. Vagus exul erra,
Nili & vndosum prope littus vrbem
Conde, purgamen sceleris, tuoq́;
Nomine dona.
Paruit natus, patriæq́; primus
Auctor hic nobis fuit: inquietæ
Noscimus culpæ mala; posteri nos
Pelei pœnam luimus nocentis:
Semper, heu, mæstis agitamur vndis,
Semper insanos patimur tumultus.
Turba Romani miseranda ciues,
Sortis infidæ comites eisdem

Nos

Nos habes tectis; miseros vetustâ
Lege fatorum sequimur dolentes;
Ista nascenti patriæ cucurrit
Stella, dum crimen lacrymans piauit
Pauper, & exul.

ACTVS QVARTVS.

ACHILLAS.

Politicus irretitum gaudet Pompeium: multis impiè & Leges, & Iustitiam, ipsasque adeò Aras & Deos criminatus.

BEnè est: paratis Magnus implicuit plagis
Sese; expetitam præstitit dictis fidem.
Vicimus: amicæ frontis illectus dolis
Hospitia tuta credit; & rursus fera
Indicit hosti bella, rursus concipit
Iras: libido cæca sic regni vocat.
Iam fraude captus est: perage totum nefas
Solers Achilla, perage; non Regem magis
Ad summa ducit facilis, aut breuior via,
Quàm quæ dolosis implicat laqueis iter.
Omnis potenti regnet in ferro salus;
A fraude vires accipit ferrum suas.

Si certa iaculo signa pertingas, nihil
Refert an vndas ictus, an ventos secet:
Quacumque transit, omne si punctum tulit,
Iam vicit. Vnus laude vel probris notat
Humana finis facta: quò sistas gradum,
Non quà pererrans proferas, cautus tene.
Regnare, summum est fas, bonum, & summum decus.
Quodcumque regnandi geras causâ, trahet
Illinc decentis nomen, & fas, & bonum.
Quid iura? Reges illa constituant sibi.
Quid fraus? fides vocetur. Et pudor, & fides
Pietásve mutant Regis arbitrio vices.
Effinxit ille Numen in cælo Deûm
Inane, & Aras posuit, vt durum genus,
Ferosq́ue populos arte mulceret piâ,
Donec recedens mentis ingenitus furor,
Metu Deorum facilè seruitio premi,
Libensq́ue Domini posset imperium pati.
Quos Ara mites reddit, hos Aulæ parat
Regiq́ue fidos, seq́ue Rex templis magis
Ponens colendum, nomen inscribit Dei.
Hac arte priscus Sacra constituit Numa
Cultusq́ue Superis. Vna regnandi tenet
Eademq́ue mens, non vna regnandi tamen

Fraus;

Fraus; at recenti ſemper integitur dolo;
Mutatq́ nomen. Nulla te patriæ mouet
Suadetq́ bellum, voce quam iactas tenus,
Romane, pietas. Roma iam dudum perit:
Hinc inde metuit, Rex ſit è vobis vter:
Oderit vtrumque; dira te in clades vocat
Etiam cupido. Noſco regnandi vias;
Iam iamq́ celeri fortè percurram gradu,
Et hæc ſuperbum Regis aliquando geret
Diadema frons, & ſceptra fulgenti manus
Auro decora attinget: at ferrum priùs
Galeamq́ ſtat geſſiſſe; miſceri decet
Aulam cruore. In hoc parabo dexteram;
Experiar id ceruice Romani Ducis,
Regumq́ cædi tela præludent ſatis.



POMPEIVS.

In vtramque partem perplexus, tamen fidere & experiri recusat.

AVxilia quisquis, sede iam profugus suâ,
Externa quærit, cuncta metuentem iuuat
Hærere curis, seq; in incerto malis
Vtrimque pressum, credere minori tamen.
Vbique multum fraudis, & fidei parum
Nactus, miserijs velut in extremis solet,
Requiro mentis omne consilium meæ,
Versoq; mecum dubius; ac tandem volens
Quodcumque damno, peius vt cogar sequi,
Placet experiri gentis ancipitis fidem,
Et dona pueri. Leuius his quicquam tibi est,
Queis anime credas? Siste præcipitem gradum;
Deflecte procul, &, dum licet, laqueos fuge.

THEOPHANES. POMPEIVS.

Multa inuicem disputant de suspectâ Regis fide.

THEO. *SPes vna Latiæ gentis, & patriæ decus,*
Romane Ductor, segnis hinc abeat mora.
Lagæus hospes omne consilio senum
Suadente fœdus iunxit, & socius tibi
Spopondit arma: iamq; propiori gradu
Admouit aciem; mille comitantur Duces,

Et

Et mille currus; ipſe ſe medium tenet
Vultu verendus puer, & auro lucidum
Capitis coronat tegmen: hinc illinc latus
Annoſa circum turba ſeniorum fouet;
Te te requirit modò, te in amplexus vocat.
Propera: quid hæres dubius inceſſu graui?
Tranquilla, tuta cernis, & tutum ſinum, &
Noſtris quietum caſibus portum propè:
Confide tandem. POMP. *Nimia ne nos hîc, vide,*
Fiducia nocens fallat. Alto quàm benè
Regum latentes impetus confers mari!
Quod facilè manet, id vertitur ſubitò fretum,
Et quà natabant leuiùs, hîc ſorbet rates.
THEO. *Aduerſa paſſus quiſquis eſt, nimiùm timet!*
POMP. *Miſer periclo credulus nimiùm eſt ſuo.*
THEO. *Iam fœdus hoſpes firmat.* POMP. *An potiùs dolos?*
THEO. *Quod regia manus ſtatuit?* POMP. *An pueri magis?*
THEO. *Regum valida ſemper manus.* POMP. *Fallax quoque.*
THEO. *Senatus illum magnus hortatu regit,*
Iraſq; dictis mulcet, & prohibet nefas.
POMP. *Naſcetur horum citiùs è numero dolus,*

Ni fortè Rex concipiat. THEO. *In tantum scelus*
Omnes repentè voce concordi Patres
Coisse credis? POMP. *Scelera statuuntur breui.*
THEO. *Cunctatur ille.* POMP. *Tempus vt iustũ paret*
Sceleri patrando, an vt datam reuocet fidem?
THEO. *Iam dona misit.* POMP. *Dona regnantũ time*
Infensa semper. THEO. *Mox feret opẽ.* POMP. *Cæsari?*
THEO. *Cui dona misit.* POMP. *Timeo donantis manũ.*
Queis me tuerer, arma consultò dedit,
Non queis ferirem. Crede, Regem commodo
Suo fauere semper; in eum conferet
Officia potiùs, quem relaturum putet
Maiora. Quicumque miser, hoc ipso fuit,
Quòd reperit omnes vndique ingratos sibi.
Donare Regis, fœnerari dixeris
In ciue; falsis illa nominibus tegit.
Consilia solers nutibus reddit suis
Congrua: probatur si quid, hoc totum sibi
Vindicat; iniqua cœtui adscribit Patrum.
Damnare simulans, vertit in laudes suas
Et fas nefasq́; ciuium liber metu,
Amore gratus ipse, nec regno timet
Inhiare, quos tam vulgus inuisos habet.
Sic Aula felix vigeat, infelix tamen

Prema-

Prematur inde ciuis. Hanc Romæ luem
Arcere volui, artes & ingenium improbi
Noſcens Tyranni; fata ſed prohibent viam.
Ponam doloſis victus vt laqueis pedem?
THEO. *Serum eſt cauendi tempus. à tergo ferus*
Inſtabit hoſtis: medius hinc illinc times.
Decerne tandem, teq́ in alterutram para
Aliquando ſortem. POMP. *Eatur. effugium mihi*
Si fortè manet, hoc nititur patriæ ſalus.
Hæc me timentem reddit, hæc retinet gradum.

CHORVS PELVSIORVM.

Præ Regum ſollicitudinibus & periculis humilem vitam laudat, ac ſacrificiorum Ægyptiorum cultum.

ANceps dubio trepidat greſſu,
Curas ſecum mille volutans,
Tandem gradu citato
Abijt; furente qualis
Mentis impete deuius
Sortis arbitrio leui
Cedit impatiens malis.
Quanti, heu, Regis corda tumultus,
Quantiq́ premunt vndique caſus!
Expers ſomni nocte quietem

Nescit; vario torquet sese
Ipse rotatu; non mensa famem
Benè compescit, dum timet illic
Latuisse dolos. Nulla est Regum
Libertas: sed splendida serui
Colla coronant auro. Miseros
Sic illudens Fors, nitida sibi
Mancipia trahit. Quo quisque super
Moderata pedem proferet audax,
Erit infelix nimis hoc ipso.
Pax inest humili loco:
Procul hinc abeunt metus,
Spesq́ sollicita & fraus;
Bella non strepitu vocat
Tuba, nec raucis forum
Litibus dirum sonat;
Non opes auidâ manu
Ciuium cumulat, suæ
Grande vectigal domus:
Sed leuem retinens colum
Fila deducit pater;
Pollice in prono citat
Turbine intorto teres
Vellus; hinc glomerans legit:

Iugo

Iugo mox telam locans
Leue ſubtegmen ciet,
Paruulos vt paupere
Induat panno ſuos.
Viuitur paruo benè,
Dulcis & ſobolem quies
Educat: nulli dolus
Texitur; nulli fides
Frangitur. Templis Apin
Numen at colimus pium,
Nobilem lateri notam
Cornibus lunæ gerens:
Aure non ſurdâ preces
Excipit; ſeu candido
Ductus ordine Gentium
Venit ad thalamos piger
Memphin, vt fiat ſacer;
Siue curriculo ſibi
Conſtituto temporis
Redit ad fontem ſenex
Merſus, vt tandem mori
Vulnere excepto queat;
Seu futura retexere
Conſulenti blandior,

Nec ferox renuit coli,
Et cibum placidè capit.
Fata quos modicè premunt
Pauperes, humili casâ
Vigeant; vano haud iuga
Spiritu montis petant.
Nactus hanc ſortem puer,
Hac libens moriar ſenex.
Sed vox querelis mœſta quæ circumſonat?
Romulea triſti turba ploratu ſuam
Heram reducit exul, & dextrâ leuat.



ACTVS

ACTVS QVINTVS.

CHORVS ROMANARVM. CORNELIA.

Queritur inter perpetua bella se viuere; deque malis illorum.

CHO. *ADuersa semper fata Martigenū premunt*
Vrbem. Vetustâ lege lacrymarum sumus
Non insolentes: bella nascentem Parens
Edocuit Vrbem; creuit illa armis ferox,
Seuitq́; bellis bella. Geniales thoros
Viduata linquit vxor, & thalamo virum
Frustrà requirens, reuocat absentem, moras
Perosa belli; aut hostibus ferro dolet
Seruire vinctum, aut cæde præreptum gemit.
Vix flore primo deserit patriam puer,
Et castra sequitur; omnis aßiduè malus
Mauors perennat. Haste perdomito plagis
Longè remotis, peior exaritur domi
Hostis rebellans ciuis, & geminat mala.
Ritè ô precantium aure si facili preces
Dij imbibistis, tollite euentus procul
Malè ominatos: vertite in melius, Duci
Magno imminentem, & vltimam gentis luem.
Cæli per auras mille volitantes aues

Hinc, & calentes inde fibrarum notæ,
Deûmque fata quot iterùm exterrent malis?
CORN. *Quacumque se circumferet Cornelia,*
Virum secuta, Numen inuisum feret.
Dardania fatis Roma turbatur meis:
Meus iste casus; grauibus ærumnis mea
Vos damna vexant. Vna ego Metelli domus
Feram ruinas; vigeat illa, atauis diu
Quondam decora. Quidquid aduersi Deus
Pepercit illis, omne Fors cumulat mihi.
Exilia thalamis mereor, in clades viros
Damnata trahere, semper vt viduos lares
Seruare cogar. Diuitem Craßi domum,
Vix & superbum limen ascendi prior;
Vix grata iuuenem iunxit amplexu Venus,
Repentè miser abripitur Assyriâ manu
Moriturus. Illum ficta Parthorum fuga
Dolis fefellit; dumq; fugientes procul
Ferro secutus instat à tergo minax,
Patrium relinquens agmen, in medium nemus,
Quà rara quercus fronde planitiem tegit,
Deuenit, altis quà per vmbrosum viget
Quacumque ramis, lenis & cedens iter
Spatiosam vbique vallis exsoluit viam.

Tum

Tum versa telis tota Parthorum cohors
Repentè iaculis mille confossum tegit.
Nec ira tamen in cæde barbaricâ stetit.
Informe tabo, exanime & abscissum caput
Clamore multo rabida præfixum gerit
Latè per auras, quaq; bellantes videt
Cessisse socios, quaq; Romanum decus
Mediis in armis strage multorum furit.
Sed quid vetusta conqueror dudum mala?
Maius peractis terret addendum nefas.
Sequitur idem Corneliam fatum tuam,
O Magne coniux; hostis haud Partho minor
Cæsar cruentus sequitur, & ferrum vibrat.



NVN-

NVNTIVS. CORNELIA.

Cornelia diſcit à Nuntio cædem mariti fraudulentam; & poſt lamenta, furore plena, ſtatuit vlciſci facinus, ac tandem marito ſuo commori.

NVNT. *OCcidimus: omnis quæ modò patriæ fuit*
Speranda ferro, perijt à ferro ſalus.
Non eſt quòd vltra grauior effundat minas
Fortuna, vires quando conſumpſit ſuas.
Periêre cuncta: plena ſic ſaties tenet
Tandem malorum, vbi locus haud ſupereſt malis.
Depone lacrymas turba leuiores; iuuet
Laniare pectus: quiſquis exundet cruor,
Non ille iuſſus vulnere immani fluet.
Præuerte munus hoſtium, fatum decet
Vrgere properè, quando remorari nequis.
Ne ſolue ſenſim capitis impexos diu,
Reſcinde crines ocyùs; celeri manu
Diſcerpta circum colla canities fluat.
Tuq; ô Metelli germen infelix, decus
Felicis Aulæ, parce dicenti, precor.
COR. *Non rude miſerijs, benè paratum conſpicis*
Per damna pectus. Omne concipiens malum
Animo præiui; quidquid extremum ſolet

Adeſſe,

Adesse, teneo, triste, miserandum, horridum,
Crudele, dirum, quodq́; vix fieri queat.
Effare casus asperos: totam rei
Expone seriem; ede: esse me miseram iuuat.
NVNT. *Vt magnus hinc abscessit Ausoniæ parens,*
Ignarus vrbis vnde præsidium suæ,
Vnde arma peteret, explicans rectà gradum,
Tandem citato tendit ad littus pede,
Quà nostra classis hæret. Aduersum anchoris
Iactis in æquor, tota fidorum manus
Vtrimque sequitur, vno & in vultu Ducis
Defixa, varias mentis obseruat vices.
Non vnus ipse, frontis obductæ modò,
Modò explicatæ gemina defigens humo
Lumina, silet nunc, nunc per obliquum rotat,
Mussatq́; secum tacitus. Incerto rei
Dum pendet animo, cernit ex alto ratem
Properare cursu: attollit hic vultum anxius
Quid illa portet; dumq́; cedenti freto
Aduentat, ad se dexteræ nutu vocat.
Vt iussa sistitur socia pinus, refert
Infensa, sæua, & oris haud patiens moræ,
Et dicta dictis implicans, hostem propè
Vrgere ferro nuntiat, gnarum fugæ

Viæq́;

Viæq; : rebus ſi quod effugium paret,
Feſtinet. Olli dirus in vultu furor
Hæſit repentè, toruus obliqua polum
Intuitus acie, terq; ſupplodens pede
Infremuit ore: Adeóne ſæuitis Dij?
Adeóne fixum mente Romanas opes,
Et libera patrum iura, & omnino pios
Delere cœtus? Ergo veſanæ dolos
Tentare cogor gentis? Hoc dicto, imperat
Roſtrata pinus propior accedat ſolo,
Quâ vectus, vnam, quæ hoſpitis ſupereſt, fidem
Exploret. Ecce regio iuſſu celer
Venit faſelus, paruus & ſordens ſitu,
Cui turpe veteri putret in ligno latus,
Rimis fatiſcit, malus in medio tremit,
Non benè locatus; tenuis & circum rudens
Reſciſſa ſtringit vela, & infracti ſalo
Remi pererrant. Hanc vt aſpexit ratem,
Non regiam, non cultam, & auratis notat
Signis carentem, renuit aſpectu truci,
Pellitq; longè. Placidus at iunctâ prece
Inuitat illum, & voce ſubmiſſâ rogat.
Solers Achillas: Non alia pontum ſecat
Quàm parua pinus, tenue quà ſtagnat vadum,

Et

Et pauper undæ littus; infidum subest,
Breuiq; tractu, claßibus magnis iter.
Excepit aure Magnus haud tutâ, sono
Mentita blando verba; nec dubius dolum
Subesse dictis, ora conuertens, suis
Fatur: Tyranni quisquis ingreditur domum,
Seruus repentè fit, licet liber siet.
Hoc fœdus aut dissoluat, aut firmet caput.
Eatur. Ergo ponit in cymbâ pedem;
Et rapitur illinc vecta; transcurrit rudi
Remo fluentes verberans vndas cita.
Romana longè claßis euentum timens,
Hærensq;, in vno immota defigit Duce
Oculos, & animis propè stat abeuntem sequi.
Ast vbi recedens littore aduerso appulit,
Quà regiâ adstat sede Niliacus puer,
Patuêre fraudes subitò, & infandum scelus
Retexit hospes. Qualis in taurum, leui
Somno iacentem, gemina bellantûm ruit
Proles leonum, & alter in iugulum ferox
Desæuit ore, & alter inuadens sinus
Discerpit vngue; haud ille pugnandi potens
Facilis cruentis præda vulneribus iacet:
Sic dira circum turba, ter ferro petens

Adorta

Adorta Magnum, terga, ceruicem, caput
Transadigit ense. Occumbit exanimis; cruor
Et hinc & illinc cæde purpureâ fluit.
CORN. *Discede tellus; scinde tartareo specu*
Ab vsque mundum; conde barbariem sinu
Latè profundo. Tuq; dominator freti,
Absume diros fluctibus, sorbe impios.
Quis hic nefandis horridus monstris locus?
Quænam ista regio? Colchis, an campis Scythæ
Paßim vagantes vbera Hyrcanæ viris
Tigres ministrant? Cautibus an horrens magis
Emittit illos Caucasus? Quidnam meus
Commeruit vmquam, & hostibus coniux pius?
Quis te calenti ponet elatum rogo,
Humoq; condet? NVNT. *Vna non eius potis*
Texisse cineres vrna. Vt infandum scelus
Illud peractum est, Regis imperio caput
Pallens in auro nuper auulsum locant.
Mox ipse vultu lætus excipiens puer:
Accede Cæsar, inquit; hoc gratus tibi
Munus paraui. Ast interim inuisi maris
Supinus orâ truncus extremâ iacet.
CORN. *Hæc ipsa Crassum adegit ad Carrhas lues.*
Vt fata eisdem sæpè nos vrgent malis!

Diuer-

Diuersa quamuis mutet infelix loca,
Non damna vitat: sequitur huc illuc comes
Insana Erinnys. Video funestam vndique
Instare turbam: liquit horrendæ Stygis
Aliquando stagnum dira Tisiphone, comas
Impexa turpes anguibus: multâ face
Quatiens flagellum tristis Alecto furit,
Totumq; oberrans fœdat astrorum decus.
Vidi ipsa thalamis improbas quondam meis
Præire furias. Tamne Corneliæ nocent
Connubia terris? ergo tot perdens viros
Superero monstrum? ergo non pœnas luam
Tandem malorum? Trahe per ardentes aquas
Acherontis imi, merge Cocyti vadis
Me me nocentem: pone flammanti ream
Phlegethontis alueo: adiunge pœnarum mihi,
Megæra, quidquid noxias animas premit.
Cessas? mihi vni parcis infensæ pia?
At cessa; & ingens pœna tunc vitæ datur
Satis cruenta, quando stat votum mori:
Vel ipse læto vinceret vultu meam
Coniux decorus pœnam, & ipsam iudicis
Molliret iram. O ego per inferni loca
Elysia Ditis raperer! ô tecum ferus

Me quoque tulisset ensis! NVNT. *Infidi hospitis*
Linquatur ora citiùs, & celeri fugâ
Abijsse liceat: concita celerem gradum.
Effugia classis præbet vndanti freto:
Iam vela in altum laxat, & cursum citat.
CORN. *Ibo, ibo, & ipsum Regis inuisi caput*
Adoriar armis: ibo, & euellam manu,
Hiante ab ictu, alteq́; perfosso sinu
Cruenta Regis corda: femineas quoque
Delectat vsque sanguis & ferrum manus:
Vnaq́; nec vnum facinus aspiciet dies.
Vlciscar ipsa scelus, & incuruo fremens
Scrutabor vngue pectus; & quidquid subest
Præcordijs, id omne discerpens, cauas
Tractabo sedes dexterâ; & laceri sitim
Sedabit hostis multus arentem cruor.
Mox vlta cædes, tela conuertam libens,
Nostroq́; figens pectori, concors viro
Romana mulier propior extincto cadam.

F I N I S.

ACCLA-

ACCLAMATIONES IN MAXIMI VIRI PHILOMATHI MVSAS IVVENILES.

ALEXANDRI POLLINI, FLORENTINI.


Vid iste fert Libellus ? aut quid suspicer
Venisse in auras luminis fœtum ingenI
Sublimis, altam nec fateri originem?
Vultuque ficti sub parentis, per manus
Perque ora circum iam volare nobilem?
Sirenas anne condidisse Carmina
Diuina, mundi temperantes astricos
Choros, & imis munere insueto Deûm
Audita terris ? anne Pindi in vertice
Iuuentæ honore Phœbus æterno nitens
Inter Camœnas ore meditatus sacro
Hæc ipsa fudit? Siue in Elysiâ pij
Conualle, gentis aureæ priscum genus,
Dedêre Vates dicta præclara, aurea, &
Desueta primùm, iamque turpi inertiâ
Deleta nostro reddidêre tempori ?
Mirare Lector, quidquid est, ac suspice;
Mentisque magnæ dum legis vestigia,

Latens adora numen (haud vana auguro,
Humana si secundus adspicit Deus)
Aperto adoraturus olim in lumine.

AVGVSTINI FAVORITI, LVNENSIS

ODE.

TAndem pudori pone modum tuo,
Fassusque vultus exere. Tu licet
Et nomen occultes & ortus,
Dicere quem prohibebis: *Hic est?*
Laus vna Vatum, nomina fortium
Flectente Ditem tollere barbito
Ab iure Parcarum; sed ipsos
Musa mori vetat æqua Vates.
Te fama Thule nouit ab vltimâ;
Te spreta prodit gloria; Te colit
Germana pubes; Te canentem
Itala iam celebrat iuuentus:
Seu ludis arguto pede; seu tubâ
Maiora pandis; seu lacrymabili
Sublimis incedis cothurno,
Dum Pharium scelus in seneros
Producis actus; siue pericula
Dircæa tentas, Phœbus in ardua
Terrisque limosoque vulgo
Abripit impauidum relictis.
Latere Virtus nescia, præpete
Sublime pennâ fertur, vt ignibus
Iungatur æternis. In auras
Nonne vides vt auita surgat

Quer-

Quercus vetusto stipite nobilis?
Nam sub profundam quò latet altiùs
Demissa tellurem, supernas
Fronte ferit propiore sedes.
Non illa cladem sibila Thraciæ
Latura campis, damnáve Pontici
Furoris, aut Cauri procellas
In segetem pauet irruentis:
Immota sed se mole regit suâ
Annosa centum brachia proferens,
Thracumq́ue sustentat cruentas
Exuuijs onerata clades.

HIERONYMI DE VECCHIIS, SENENSIS

EPIGRAMMA.

SEu molles Elegos; seu curto Epigrammata gyro;
Seu legis heroi nobile Vatis opus:
Nectare Cecropij libabis, crede, lepôris,
Et Spartæ docto carmina tincta sale.
Copia quin Asiæ torrens, Suadæq́ue Latinæ
Cultus inest Musis; hic nitet, illa fluit.
Thebani numerus, Venusini gratia plectri,
Hic sonat Andinæ clangor honosq́ue tubæ,
Et Veronensi citharæ vox æmula certat.
Quæ decora hæc vnus clausa Libellus habet!
Nomina sed desunt Vatis. Lege carmina: non quis,
Sed quantus Vates sit, bone Lector, habes.

IACOBI NINII, SENENSIS

EPIGRAMMA,

In Philomathum, ſuum vulgari nomen religioſè vetantem.

QVid me ſacra iubes ſeruare ſilentia, Vates?
Fama meum ſoluit relligione animum.
Hæc te centeno iam prædicat ore per Orbem,
Implet & innumeras ambitioſa tubas.
Nomine læta tuo Germania tota triumphat;
Te canit è ſeptem Roma, colitque iugis.
Perge, ſilere iube: ſileam, dum perſonat æther,
Viuit & in laudes terra ſuperba tuas?
Cuncta licet ſileant, prodet Sapientia, Virtus,
Et par diuinis moribus Ingenium.
Aſtra licet lateant, produntur lumine: dum Sol
Nube ſua tegitur, lumine detegitur.

IACOBI PHILIPPI CAMOLÆ, ROMANI

EPIGRAMMA.

NEquidquam tegitur, Vir præclariſſime, nomen:
Luminis indicio prodit vbique tui.
Diligis Aonidas, & habes quod ameris ab ipſis;
Ex te, cur ipſas diligat Orbis, habent.

IOAN.

IOAN. BAPT. TVRRICELLI, PATAVINI

SOMNIVM.

Visus eram in ſomnis, Perrhæbi in vertice Pindi,
Quà nitet illimi ſemita facta vado,
Conſpexiſſe Virum, placidi nitor aureus oris,
Et decor, & greſſus cui propiora Deo:
Illi incumbentes herbis aſſurgere Vates,
Quotquot habet Graios, Auſonioſque nemus.
Obuia quin ſacri montis procedere vidi
Numina: qui Phœbo ſolus habetur honos.
Vtque, caput rubro Titan cùm tollit ab Ortu,
Aligera exultat turba, diemque colit,
Protinus audiui plauſus, & gaudia vulgi,
Barbitaque in laudes conſonuiſſe Viri.
E numero Aſcræo tunc ille accerſijt vnam:
(Vt reor à formâ, Lesbia virgo fuit)
Quam ſimul admonuit, plauſus ceſſare iuberet,
Ne foret occultæ conſcia Roma viæ.
Mirabar, quiſnam in tantum progreſſus honorem
Caſtalidum poſſet munera deſpicere;
Cùm mihi Romanos inter notiſſimus Auctor
Acceſſit tali comiter alloquio:
Noſter amor, Vates, doctarum cura ſororum,
Quem fòrs longa meo carmine fama manet;
Falleris, hunc Cirrhæ ſteriles ſi reris honores
Temnere, qui noſtrum deperit vſque Chorum.
Pieridum ſtudijs non illo ardentior alter,
Aut Aganippææ feruet amore lyræ:
Sed Themide abductus, rerumque amplexus habenas,
Iam pede furtiuo Phocidis antra ſubit.

An non, Eridani fines, ſeu miſſus ad Iſtrum,
Martia cùm toto clangeret Orbe tuba,
Muneribus ſummis ſocias admittere Muſas,
Et comites longæ ſueuit habere viæ?
Teutonici teſtes Rheni vada cærula, ſedes
Bellorum, & proprijs fracta Moſella bonis;
Caſtaliæ quæ intenta Lyræ ſubſiſtere vidit
Belliger immotis ſæpè Sicamber aquis.
Tunc ſtimulos odijs decreſcere ſenſit Enyo,
Plectraque pro lituo viſa fideſque ſequi:
Candidiorque dies terris exorta reduxit
Auriferæ dulces otia Pacis opes.
Dixit io Pæan pubes Heliconia: ſummi
Principis ab nutu proximus ille ſedet:
At clauum imperij torquens, rumoribus Aulæ
Se abripere, & caſtas iuſſit abire Deas.
Seceſſu tamen hoc fruitur, vulgoque profano
Semotum huc gaudet ſæpè referre gradum.
Nos læti obſequio excipimus; ſed texere laudes
Carmine, & effari gaudia noſtra vetat.
Quòd Phœbi ſi certa canunt oracula, noſſe
Cui Pater euentus cæcaque fata dedit;
Diuerſo hunc poſitæ Gentes ſub cardine mundi,
Vltimus Heſperius, Memnoniuſque colent.
Tunc terras Pietate reget, tunc ille volentes
Per populos vltrò mitia iura feret.
Pax alet ingenuas artes, migrabit in Aulam
Delos, Apollinei turbaque alumna iugi.
Dixerat hæc Vmber Vates, fontemque petebat,
Vt mea Pierijs ora rigaret aquis:
Diſcuſſit ſed viſa dies ingreſſa feneſtras.
Qualiacumque, ſuum ſomnia pondus habent.

IOAN-

IOANNIS ROTGERI TORCK, CANONICI MONASTERIENSIS ET MINDENSIS

ODE

Ad Philomathum, Germanos Nobiles ſuo exemplo ad politiorem litteraturam ab aſperioribus ſtudijs reuocantem.

DVdum madenti ſanguine Teutonum,
Deuota Marti, ſpreuit Apollinem,
Araſque Bellonæ cruentas
Poſthabitis coluit Camœnis,
Abrepta ſæuo pectoris impetu
Germana pubes. Per fera prælia,
Per arma, per cædes ruebat,
Præcipiti velut Iſter vndâ,
Mactanda vanæ victima gloriæ.
Sic gentis ortum, ſic genus inclytum
Probare, ſic pulchrâ decebat
Morte ſuas animare ceras.
Altùm ſilebant Aoniæ fides,
Dum delicatum tendere barbiton
Deuitat, imbellique plectro
Mollia ſollicitare fila,
Aſſueta ferro dextera nobilis:
Dum militari tempora laureâ
Virent, triumphaleſque ſuadet
Othryadis truculenta Sparte

Semper legendas diſcere litteras.
Plebi patebat Pierium nemus,
  Et ſacra tractabat verenda
    Vulgus iners, animæque viles:
Cùm ſtirpis altæ diues honoribus,
Phœbi benigno non ſine numine,
  Profectus extremis ab oris
    Italiæ peregrinus Heros,
Ad vaſta Rheni flumina non ſuis
Rubentis vndis, virgineam chelyn
  Pulſare, percuſſiſque neruis
    Caſtalios ſociare verſus,
Et ære triplo corda rigentia
Mollire cœpit non minor Orpheo,
  Phœbumque Germanis ſerenum
    Reſtituit, iuuenesque Muſas.
Non indecorum eſt, hoc duce & auſpice
Adire montis Gorgonei iuga,
  Specusque doctas, & virentem
    Fatidicis Helicona lauris.
Ad magna nati diſcite Nobiles
Æternitati ſcribere: diſcite
  Aptare carmen, quod futuro
    Poſteritas legat omnis æuo.
Plenum recepto pectus Apolline
Numquam obruendis nobilitat ſuam
  Stirpem Trophæis. Mors, & ætas
    Cuncta rapit: manet vna Virtus.
Videtis alto ſidera vertice
Ferire docti carminis alitem:
  Videtis in quantâ triumphat
    Purpureus Philomuſus Aulâ.

Iungun-

Iunguntur vno pectore Principis
Et Vatis artes: vnica mens Iouem
Musásque miscet, & capaci
Cuncta sinu generosa claudit.
Rumpatur ater liuor, & inuidos
Corrodat vngues, dum pariter Tibi
Vir magne plaudit Vrbs, & Orbis,
Cuius onus geris alter Atlas.

NATALIS RONDININI, ROMANI

SCAZON.

TAndem reuisunt aureum iubar Solis
Musæ PHILOMATHI. Thura det frequens aris,
Quicumque sacrâ fronde protegit frontem,
Hederâve molli cohibet inclytos crines,
Apollo quos amauit vnicè crines.
Hæc ille, seu dum spatia gurgitis vasti
Secat, cauernis quà fretum Cyclopeis
Feruet, tumenti & astra verberat fluctu,
Seséque mox resorbet, & suas iras;
Siue arduis dum nubibus caput cinctas,
Glaciéque crines horridos, & impexos,
Humerosque tollentes polo pares Alpes
Superat, (reposcit trepida quippe opem Europa)
Et clade tumidus decolorque Vistillus,
Albisque, & vno haud nomine in mare irrumpens,
Quem Belga, quem Germanus ebibit Rhenus
Miratur ire attonitus haud suos fluctus;
Dum Mars reuulsis postibus bonæ Pacis
Acuit calentes mutuâ manus cæde,
Vnáque pestes ceteræ diem inuadunt:

Hæc

Hæc ille, tantâ mente dum ſedet moles,
Hæc ille cecinit, ſicubi fatigatum
Negotiorum æſtu, aut mora viæ feſſum
Laborioſæ, ſedulæ interim veſtro
Recreaſtis antro, frigidâque lucorum
Vmbrâ virentum, vitreo & lacu Muſæ.
Sed ille, quod nec ipſa Colchis auderet,
Tot pignora, ac tot ingenI ſacros fœtus
Obliuione inuolueratque deformi
Silentio, noctemque carpere æternam,
Tenebris latere iuſſeratque inacceſſis.
Verum icta pietas, mensque mota, Fernande,
Non patitur id tua; obuium ac ſinum pandens,
Animum parentis induis, caducâque
Fœdâque labe temporis rapis primùm,
Mox & nitorem, & gratiam, & decus formæ
Iuuenile adauges, & frui iubes cælo.
At vos, edaces, noxium genus, blattæ,
Abigenda longè læuibus lues chartis,
Alibi repoſtam quærite in cibum prædam;
Seniumque turpe paſcite, aut putres libros,
Quos rugæ aniles & vetuſta confecit
Incuria, aut capſæ ſitus fatiſcentis,
Perennitatem Phœbus his licet Muſis,
Canumque quamuis fila ſpondeant nomen,
Iuuenile numquam concidet decus formæ,

STE-

STEPHANI GRADII, RAGVSINI

HENDECASYLLABI.

VAtes optime, quotque litteratos
Nostra ætas tulit, aut tulit virorum
Plenior sapientium vetustas,
Nulli consilio, nec eruditæ
Largo flumine posthabende linguæ;
Te facundia, litteræque nostræ,
Te suum Latiæ decus Camœnæ,
Lumenque eloquij vocant auiti.
Tuis en studijs laboribusque
Linguæ gratia se leporque debet;
Debent munditiæ, elegantiæque,
Et puræ veneres locutionis.
Per te ab exilio, & malis tenebris
Prisca Suada redit, proculque ad imas
Rus & barbaries facessit vmbras;
Ipsaque esse Latina Roma discit.

FERDINANDI A FVRSTENBERG

ELEGIA,

Nequidquam tegi auctorem Musarum Iuuenilium.

QValis, vbi æstiuo feruet Cane torridus annus,
Fœcundus Pharios Nilus inundat agros,
Et septemgemino sitientes vortice glebas
Ditat, & irriguam messibus ornat humum;

At

At procul arcanis idem cunabula terris
Et caput ignotis celat originibus:
Talis Pindaricæ torrentia flumina Suadæ
Voluis inexhaustis, magne Poëta, vadis;
Et Latium sermone beas, ac diuite venâ,
Cùm tua Castalias Musa refundit aquas;
Et premis obscura septum caligine fontem,
Vnde fluunt Clario carmina digna Deo.
Sed cur Perrhæbi notus satis incola Pindi,
Cor Charitum, Sophiæ sidus, & Orbis amor,
Cur tegis ambiguâ Iuuenilis imagine Musæ
Ingenij dias vberioris opes?
Cur dubitas plenos manifesto numine fœtus
Enixus, famæ pandere vela tuæ?
Nequicquam, Vir magne, lates: Te nostra loquuntur
Sæcula; Te Vatem posteriora legent:
Seu mirata tuos Siren Acheloïa cantus
Audijt, & Siculis inuida fleuit aquis:
Seu Phaëthontææ laudarunt carmina Nymphæ,
Et Cygnus tacito plausit ab Eridano:
Seu stetit Orpheâ captus testudine Tybris:
Seu nemora Alpinas deseruêre niues:
Seu Rhenus Martis lituos oblitus amauit,
Siue Mosella tuos, seu piger Alpha modos.
Nequicquam, Vir magne, lates: Te fama latentem
Prodit, & auratâ cantat vbique tubâ.
Nec sinit indictum pietas, & pectoris altum
Robur, & exosus prælia Pacis amor.
Sichemios colles, & collibus addita testor
Templa coronato suspicienda tholo;
Vos Vbij testes, testis Mimigarda laborum,
Et quæ septeno vertice Roma tumes.

Eripe

Eripe nunc ergo tenebris caput, optime Vates,
Et laruam fictis detrahe nominibus.
Si minùs abſcondit mentitum Scyros Achillem,
Et Laërtiadæ cognitus ille fuit:
Si, qui regna tenet latè Parnaſſia, Phœbum
Crinales prohibent delituiſſe faces:
Si, licet occultâ vallatus nocte, pyropus
Natiuo rutilum prouocat igne diem:
An poterit calor ille tuus cæleſtis, & illa
An poterunt Gentis ſigna latere tuæ?
Sidera ſcintillant, ſublimi vertice quercus
Eminet, & ſenis Mons ſubit aſtra iugis.
Sed pudor, & caſtæ regina modeſtia frontis,
Purpura coccineis pulchrior induuijs,
Vitat Apollineos titulos, ac præmia Vatum
Laurea, Pierijs debita ſerta comis.
Vt nec grande ſophos, nec candida pectora tangat
Gloria fucatis ambitioſa genis:
Colligat in tenues vt ſeſe nominis vmbras,
Et virtus tacitis gaudeat alta bonis.
Quam tamen inuitam curru ſectatur eburno,
Et circumfuſo lumine veſtit honor.
Sic radiant puro ſeruata corallia vitro,
Sic per virgineos lilia caſta ſinus;
Sic adamas demerſus aquâ patet omnis ab imâ,
Et micat auriferi diues arena Tagi.

IACO-

IACOBI WALLII
E SOCIETATE IESV
AD PHILOMATHVM
ELEGIA.

Litteratum eius otium celebrat.

HOc magnis commune viris: pro tempore gaudent
Ludere: ſed luſus, quo celebrentur, habent.
Aut condunt aliquid, ſeros quod viuat in annos,
Et repetunt, olim quas coluere, Deas.
Aut decus, & pretium veri ſcrutantur, & æqui:
Aut ventura dies quid feret, antè notant.
Hi, dum bella gerunt, ſiluas indagine cingunt:
Mens tamen ad pugnas, ductaque valla redit.
Buxo alij ſingunt acies, imitamina belli,
Et recolunt, quo ſint caſtra tuenda modo.
Denique quidquid agunt, non perdunt tempora: ſecum
Plurima quæ peragant, quæque loquantur, habent.
Scilicet intendunt animum, pariterque remittunt,
Et geminâ curas vtilitate leuant.
Quid tibi, cùm populũ fugeres, ſcenamque, forumque,
Quid tibi, Scipiade, tum quoque, mentis erat?
Solus eras, ſolis captans in montibus vmbras,
Nil minus in ſolis creditus eſſe locis.
Mens tibi, dum tacitè ſe percunctatur, & audit,
Quid pax, quid poſcant arma, Senatus erat.
Sic, dum te conchas vidit Caieta legentem,
Currebat vacuus, non ſine laude, dies.

Lælius

Lælius hîc aderat: nec tum ſapientia Læli
Deſtituit patriæ remq́ue decuſq́ue ſuæ.
Otia fecerunt, vt, quæ ſubiere, ſubirent
Molliùs, in curas ſufficerentq́ue nouas.
Otia fecerunt, vt res belliq́ue, togæq́ue,
Tot veteris poſſent temporis acta legi.
Cæſaris annales (nihil eſt exactius illis)
Inſpice: quæ geſſit bella, legenda dedit.
Tam cultâ ſcripſit, ſcribendi commoda nactus
Tempora, quàm forti geſſerat arma manu.
Cùm benè conſuluit Romanæ Tullius vrbi,
Romano dignum Conſule ſcripſit opus.
Sæpè ſub vmbroſo meditantem multa receſſu
Mirata eſt dominum Tuſcula villa ſuum.
Quid me, quid prohibes hæc inter nomina nomen,
O amor, ô Romæ cura, referre tuum?
Parce, precor, faſſo: vix me tua iuſſa coërcent:
Vix patitur ſeſe Muſa retenta regi.
Sic, vbi viſa fera eſt, domino ſe viuidus Vmber
Eripit, atque odio lora morantis habet.
Sic fremit acer equus, pedibuſq́ue repagula pulſat,
Carceribus nondum cùm patuere fores.
At non irrumpam, quà non licet ire: nec vltrà,
Quàm per te fas eſt, officioſus ero.
Vtq́ue iubes, ſileo: res non operoſa ſilere eſt:
Et, ſcio, parendo gratia maior erit.
Nota ſequar, quæ Sol vidit, faſtiq́ue loquuntur,
Totaq́ue virtutis conſcia regna tuæ.
Roma mihi teſtis, quæ, quem circumſpicit, orbem
Dum regit, auxilio ſæpiùs vſa tuo eſt.
Hæc tibi Martis opus, commiſſaq́ue credidit arma:
Et per te dederunt legibus arma locum.

Hæc tabulis ſignanda ſuis te rite referre
 Iuſſit, & arbitrij rebus adeſſe ſui.
In te præſentem vidit Ferraria Romam,
 Et qui Romulidas, imperiumque regit.
Sortita eſt Melite, cui ſe belliquè dicaret
 Munera: mota tuâ ſed fuit vrna manu.
Quid referã, quæ nunc Amaſis, quæ Rhenus & Albis
 Pacta vident ſerò fœdera, pacta tamen?
Sæpè Deum ſupplex, vt tandem regna coïrent,
 Speraſti lacrymis flectere poſſe tuis.
Sæpè vocata tuis Pax & Themis aurea votis
 Adfuit, & viſa eſt ſigna ſecunda dare;
Inter & amplexus, & dulcibus addita verbis
 Oſcula concordes iungere velle manus.
At tibi Relligio, tot auitis ſedibus exul,
 Iuſtior ante alias cauſa doloris erat.
Vrebant animum triſtes ſine cultibus aræ,
 Templaque ſacrilegâ diripienda manu.
Peius erat bello tot iniqui præmia belli
 Cedere, Romanis exitioſa ſacris.
Et niſi quæ noſtris Mauors extorſerat aris
 Redderet, oblatæ tu mora pacis eras.
Nec tibi teſtanti Superos, & iuſta querenti
 Diuitis eloquij non dedit arma dolor.
Dum mens hæc agitat, dum nil non prouida verſat,
 Dum bona perſequitur, dum nocitura cauet,
Et meditata diu rurſum rurſumque refingit,
 Nec tot regnorum ferre grauatur onus;
Debuit hæc inter (quis enim neget otia feſſo?)
 Interdum curis eſſe ſoluta ſuis.
Corpora debilitant; animus quoque frangitur illis:
 Vtraque ſeceſſu, quo releuentur, egent.

Deficiet

Deficiet macie nullo non consitus anno:
Da requiem; meliùs credita reddet ager.
Acrior vt redeat, colles saltusque Faliscos
Pascitur è Circi puluere missus equus.
Nec semper celeres decurrunt æquora nautæ:
Interdum fessos anchora iacta tenet.
Exuit & miles galeam, clypeumque reponit,
Signaque collecto robore vulsa mouet.
Sic igitur post tot grauium molimina rerum
Ingenio fuerant otia danda tuo.
Et data sunt; sed quæ poterant labor esse videri:
Seria sic lætis mista fuere iocis.
Scribere, ne tempus vacuo, res cara, periret,
Quod te, quod curas fallere posset, erat.
Cùm coleres Vatis, coleres quoque Principis artes,
Materiam numquam non habuere manus.
Seu foret exacto tecum Ferraria lustro
Felix; felici plura vouebat amor:
Seu funesta lues Italas vitiauerat auras;
Venit ab admonitu purior aura tuo.
Lascariden Melite titulis & honoribus auxit;
Lascaridæ dignus carmine creuit honor.
Sæpè Amasis, Rhenusq; pater, quodcumque canebas,
A te suspensis mollior iuit aquis.
Quod si iter ingresso placuit cursumque modumque
Scribere; sic Flaccus scripsit & ipse suum.
Sic labor ipse viæ terrâ pelagoque leuandus,
Sic tibi tu furtim decipiendus eras.
Mira loquor. dum rector equos clamoribus vrget,
Totaque puluereo turbine cæca via est:
Dum ventis, dum nauta facit conuitia remis,
Dum strident funes, dum furit æstus aquis,

Sumpta tabella manu eſt, & qui tibi carminis, idem
Exitus eſt longæ metaque facta viæ.
Non tibi Romanis carmen prouenit in hortis,
Nec tenuit Muſas villa paterna tuas.
Materiam dedit illa ſuo, non otia Vati,
Non inter libros, Pieridaſque locum.
Pieridum formoſa domus, domus hoſpita regum,
Digna tui domini carmine, digna meo:
Quis fuit ille dies, quo cælo nullus ab alto
Gratior illuxit, candidiorque tibi?
Quis fuit ille dies, quem ne grauis obruat ætas,
Æternis referent marmora cæſa notis;
Quo tibi maieſtas ſeſe Romana videndam
Obtulit, & limen contigit ipſa tuum?
Hîc fuit: hîc magnus ſedit Pater; hæc humus illo,
Cui figunt reges oſcula, preſſa pede eſt.
Hoc nemus, hunc collem ſubiit: hic frigus, & vmbram
Fons dedit: hæc forſan præbuit herba torum.
Forſitan hîc faciles dedit aduenientibus aures,
Addidit & facili munera multa manu.
Forſitan hîc illi Tyrio conſpectus in oſtro
Prælegit regum ſcripta, preceſque Nepos.
At tu non vno celebrata es carmine, villa:
Nec quæ lux celebrem redderet, vna fuit.
Etruſci fecere Duces tibi nomen, & ortæ
Lotharidûm matres, Auſtriadûmque domo:
Roboreumque genus, tum ſpes patriæque patrique
Vnica; mox, eheu! iuſtus vtrique dolor.
Per iuga, per ſaltus ceruos aproſque ſecuti,
Dein hilares menſis accubuere tuis.
Vos iuga, vos ſaltus, regum memoranda voluptas,
Vos dulces latebræ, tritaque ſaxa feris,

Vos

Vos virides ſaluete aditus: ſaluete penates,
　Et domus hoſpitio nobilitata tuo.
Fortunata domus, quæ dum Farneſia viuent
　Nomina, dum Tuſcas fama loquetur opes,
Vrbinumque ſibi raptum lugebit Vbaldum,
　Ingenio Vatis clara ferere tui.
Tu Luculleas ſupra memorabere villas,
　Quæque Academeo nomine nomen habent.
Porticibus quicumque tuis ſucceſſerit hoſpes,
　Cur ſis, quod canimus, nomen adepta, leget.
Marmora ſunt illic decorum referentia cauſſas,
　Pulchra; ſed in famam non ſatis ampla tuam.
De te nunc primus, de te nunc audiet orbis
　Vltimus, & Vatis fama, futura tua eſt.
Excipe Vatis opus, victuros, Roma, libellos
　Excipe: ſint illo, quem meruere, loco.
Ipſaque quæ ſeruant Maphæi ſcrinia Muſas,
　Has etiam ſeruent: has locus ille decet.
Si fuit ingeniis olim concordia iunctis;
　Si fuit eiuſdem cultor vterque ſacri:
Nunc quoque coniungi par eſt, diſcrimine tantùm
　Diſſimiles vno, cetera laude pares.



ODE
IACOBI ALBANI GIBBESII BRIT. MED. DOCT.

CVltum è Vahalis (credite) finibus
Vidi libellum, Tybride conscio;
Romamque mirantem, & Latinum
Attonitâ velut aure Phœbum.
Prô, quanta venæ copia diuitis
Fluxit! quis ardor Teutonicas niues
Dissoluit infractas, vt irent
Molliùs Aonidum scatebris?
Prô quæ, Maronis seu crepuit tubâ,
Seu res Thyestæ, seu tetigit sales,
Fallebat aut plectro laborem,
Vis erat,imperiumque Vati!
At nulla pictæ nomina legimus
Præfixa fronti. Quis negat abditum
Lucere Solem? sat patebat
Sigalion melior loquente.
Candor sepulchri proditor est sui, &
Mirè coruscam vibrat imaginem
Oppressus: exclamamus omnes,
Ausonium pupugisse ciuem.
Interque gentis regna tot Italæ,
Vrbesque regni, claudere iam licet
Tellure certâ, blandientes
Eloquio referente Senas.
Dicam & vetustam, si lubeat, domum,
Stirpemque, sortemque. Agnitus, ô Bone,
Frustrà verecundo resistis
More, superuacuoque iusti

Honore

Honore peccas. Nube modestiam
Educ opacâ, nec IVVENILIBVS
Plus Virgo MVSIS obseruato
Solus ama latitare Pindo.
Quorsum iuuentas, & decor, & placens
Guttur Camœnæ, si tamen horridis
Munitur vmbris? Diua certè
Fit mulier, volet ipsa cerni.
Iam Dædaleæ nil opis indiga
Turresque, murosque, & populos super
Rumoris euasit curuli
Nomen agens, meritasque laudes.

FINIS.





SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. *Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentissimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate suo sanxit, ne quis* Philomathi Musas Iuueniles, *præter Balthasaris Moreti voluntatem vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressas in has Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalésve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & aliâ graui pœnâ multabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* XII. *Martij* M. DC. LIV.

Signat.

De Fren.

APPROBATIO CENSORIS.

POEMATA hæc nouis aucta, sicuti omnium præconiis, ita & altero prælo dignissima sunt. Actum VI. Iunij M. DC. LIV.

Guilielmus Bolognino S.T.L. Canon. & Librorum Censor Antuerpiensis.

